4

JAC. HERM. OBEREIDII

Arbore-Felice-Helvetii Chymiatri Lindaugia-Acroniani Academiæ Scientiarum Electoralis Boicæ Sodalis &c.

VNIVERSALIS CONFORTATIVA MEDENDI METHODVS

DISQVISITIO NOVA.



CAROLSRVHÆ,

EX OFFICINA AVL. MACKLOTIANA.

MDCCLXVII.

BACO VERVLAMIVS *in Præf. ad Hiſt. Nat. & Experiment.*


Etſi enim haud pauca, eaque ex præcipuis ſint abſolvenda, tamen conſilium eſt, univerſum opus potius promovere in multis, quam perficere in paucis.

DEO

ET SALVTI GENERIS
HVMANI,

QVÆ SVPREMA LEX ESTO,

SACRVM!



DE

VNIVERSALI MEDENDI METHODO CONFORTATIVA.

DISQVISITIO NOVA.

PROOEMIVM.

Quamvis prægnantes ob rationes merito videatur impoſſibilis medicina univerſalis hoc in orbe ſub-lunari, quippe contrariis maxime cor-ruptionibus obnoxio, non eadem ta-

men videtur eſſe ratio methodi medendi morbidis noſtris corporibus. Quemadmodum enim univerſa morborum internorum copia, quorum curandorum ratio nobis ob oculos heic verſabitur, quibusdam in generalibus læſionis animalis proprietatibus convenit: ſic & ſcopus quidam generalis omnibus iis curandis præfixus eſſe, intentio generalis ad hunc ſcopum collimare, & via hanc exſequendi intentionem æque communis obſervari ac inveniri poterit. Nonne hæc utiliſſima? Qua de re cum ad praxin feliciorem conſtantioremque facientes propiusve accedentes reperiſſe mihi viſus ſim notiones aliquas,

operæ

operæ duxi pretium, tentare poſt alios, longe eruditiores licet, exiguas meas vires in eruenda magis hac nobiliſſima materia, ad amplius adhuc excitandos magnorum in arte ſalutari virorum conatus eminentes pro illuſtrando principali iſto medicinæ capite, perfectiusque firmando ac circumſcribendo magno Clinices cardine, difficultatibus non minus quam obſcuritatibus haud paucis nec parvis adhuc obſeſſo. Ipſum docebit tentamen, a re gravitatis non minus quam utilitatis inſignis haudquaquam abeſſe novitatem inexhauſtam ad emolumenta allicientem haud poſtrema arctius proſequenda. Quæ ipſa dudum ſane animo

obverſantia, non illæte utique nec parum experta, me maxime permoverunt, ut literis conſignare deligerem quædam exſtantiora ſemitæ illorum veſtigia, quæ clariori & ampliori fortaſſe luce excitata bonum derivent in poſteros publicum. DEUS benigniſſimus annuat, quemadmodum fini, ſic adſpirantibus ad illum conatibus humanis.



DIS-



DISQVISITIO.

§. I.

Inquirentibus nobis in methodum medendi universalem, ad patefaciendam ejus ex fundamentis naturalibus indolem ac exinde possibilitatem ipsiusmet actualitatemque adstruendam, primo loco quid sanitas causæque ejus, quid morbus, quæ causæ morborum sint internorum, dispiciendum videtur, quod jam brevibus, & simpliciori modo, qui claram ac popularem fere, quantum fieri poterit, facilitatem afferat, attingere tentemus.

§. II.

Quid est, quæso, sanitas, nisi integritas & alacritas virium corporis ad functiones suas omnes facile perficiendas? Robur alacre, sine defectu, sine molestia impediente.

§. III.

Nonne hoc ex contrario clariſſimum? Quid, ſenſu manifeſto, morbus omnis, niſi debilitas quædam vel moleſtia vel utraque, functiones lædens corporis?

§. IV.

Tolle dolentem moleſtiam ſtam, redde vires, redde alacritatem corpori integram, jam mera redit ſanitas. Hæc populus omnis experitur, ſentit, videt.

§. V.

Undenam ſanitas hæc? Nonne ex libero penitus, vegeto, æqualique humorum per omnia corporis vaſa circulo? Salvo enim hocce integra perſtat ſanitas. Læſo læditur, reſtituto redit protinus ea ipſa.

§. VI.

Sed unde hic circulus integer & vegetus? Permovent hunc æqualiter, ſuſtentantque

tantque vires ſolidorum, canalium præcipue omnium elaſticæ; vis igitur contractilis & expanſilis ſolidorum, vivido in actu & ubivis libero poſita progenerat vibrans ac perpetuat hunc circulum.

§. VII.

Vis hæc motrix humorum, cum hoſce ipſos ſemper expedita propellit per canales, eo ipſo præcavet, quo minus ullis in vaſis adhæreſcat quid parietibus eorum, quominus hac adhæſione ſtaſis ulla progignatur, quæ ſenſim vaſa obſtruat, circulumque fluidorum per ea vel moleſtet impedimentis vel ſufflaminet tandem penitus.

§. VIII.

Vis eadem vaſorum ubique convenienter elaſtica reſiſtit omni nimiæ fluidorum accumulationi, imo vero reſiſtentia ubique pari prævenit influxum nimium omnem, opponens ſic niſui cuicunque inordinato pariter

ac

ac quieti obſtaculum univerſale ſufficiens, & ut ita dicam, plusquam æquilibrans.

§. IX.

Nonne heic firmum repertum eſt, perfectumque & univerſale ſanitatis fundamentum? Robur nimirum ſolidorum omnium ſufficiens & vegeta ubivis motione perpetuo activum ordinatumque? Num manifeſtius reperire datur ac pæne intueri ſummum ſanitatis cardinem? Solidorum quippe robur, contractione præprimis vaſorum activum, partium vaſis immeantium colliſionem producit mutuam, inteſtinam, perenniter incitantem, vividum eo ipſo ſimul ſolidorum tam inter ſe quam cum fluidis affrictum, affrictus hic calorem per omnia continuo diffuſum, calor expanſivus rarefactionem mixtorum incluſorum, rarefactio fluiditatem, hæc facilitatem circulationis liberam per omne corpus, circulatio libere ubique promota valido ſolidorum elatere ve-

vegetum floridumque ſanitatis ſtatum. Quid igitur reſtat? Num non ſubſiſtemus hoc in fundamento tam claro, tam firmo, tam congruo?

§. X.

Videri quidem ultimum ſatis commode poteſt, ut etiam multis haud minus ac nobis propria inductis meditatione accidit. Sed heic von permittunt ſubſiſtere perſpicaciores, non ſinit profundior natura ipſa ulterius ſe prodens genuina luce. Quousque nobis licet dilucida ejus elicere reſponſa, non deſinamus quærere. Undenam igitur robur illud ſolidorum omnium elaſticum? Unde perpetuus roboris illius vigor, omnia concitans, circumagens, ſuſtentans? Undenam ſolida ipſa? Nonne ex fluidis oriuntur, viresque ac motus naturales accipiunt omnes?

§. XI.

Oriri ex fluidis solida per cohæsionem, condensationem, concretionem particularum perfectæ fluiditati minus aptarum, terrearum scilicet, salinarum & viscidarum, quæ secum implicant aliquas fluidiores aqueas, aëreas, æthereas, edocet primigenius materiæ universæ status fluidus, qui ad solidum tendit per gelascentiam & inviscationem, ceu status medios inter fluidum & solidum. Ipsum corpus humanum ex semine, fluido viscoso, ortum habet suum, & primo mollissimum est, fluiditati fere propius quam soliditati. Et solidæ corporis humani partes, uti ex fluidis primo concrescunt, ita ex iis omne suum assumunt tam augmentum quam nutrimentum per secretiones & appositiones a circulo humorum perennes.

§. XII.

Jam unde ortum, augmentum, nutrimentum nancifcuntur femper folida, manifeftum eft, inde etiam eadem vires adipifci & fuftentare fuas omnes, vigoremque virium perenniter activum. Sine perpetua enim reftauratione per fluida nutritiva vires folidorum labafcunt, pereunt, fine influxu fluidorum perenni languent fane, torpent, inertia fepultus latet vitalis vigor vel emoritur penitus. A vigore vero liquorum fortia nafcuntur folida, a debilitate debilis.

§. XIII.

Vitalem ipfum folidorum motum perpetuum quid, quæfo, excitat nifi perenniter laceffens humorum influxus? Quid adeo in motibus voluntariis movet proxime folida nifi irruens in mufculos fluidum nerveum?

§. XIV.

§. XIV.

Mutatio ſolidorum nonniſi motu mediante contingit. Motus ſolidorum ex vigore ipſorum vel elaſtico vel irritabili nativo facilis nonniſi per impulſum excitantium fluidorum & actum venit apertum. Unde igitur mutatio inteſtina ſolidorum omnis niſi a fluidis varie commoventibus, penetrantibus, ſeſe inſinuantibus? Unde tum conſtitutionis omnis ſolidorum modificatio, niſi a fluidorum qualitate per motum applicata vel communicata? longe magis ut plurimum quam a quantitate ſola.

§. XV.

Cum motus ſolidorum continua a motu fluidorum perenni excitatur, hic ſolidorum motus a fluidis excitatus fluida rurſus ſemper promovet. Nonne vero ad hanc actionem fluidorum ac ſolidorum in ſe invicem mutuam pro ſervando priorum circulo juſto

debet

debet adeſſe etiam concinna penitus priorum qualitas & juſta quantitas ex ſecretione, ubicunque opus, recta? Omnino ſane, & tanto quidem magis, quanto certius a decenti quantitate & præcipue qualitate & ſecretione humorum efficitur & conſervatur juſtus & expeditus in ſolidis vigor, cum formentur & nutriantur utique ſemper ex fluidis ſecretis ſolida. Juſta ergo quantitas, qualitas, elaboratio, ſecretio, diſtributio & applicatio fluidorum primitivum ac præcipuum cum motu eorum libero inteſtino & progreſſivo fundamentum exiſtit ſanitatis phyſico-mechanicum, a quo ſolidorum omnium bona conſtitutio, robur alacre, motus proprius continuus, tonicus, vitalis, ceu columen ſanitatis proxime conſequens & ſuſtentans exoritur.

§. XVI.

Num nihil amplius jam requiritur quam ſolidorum integrorum a fluidis, fluidorum

ſufficientium & ſanorum a ſolidis hiſce reciproca illa commotio vel impulſio, ad circulum perennem ſervandum, ad corpus humanum vegetum ſanumque ſiſtendum? Sed periret brevi motio hæc reciproca interna, ſine reſpiratione, nutritione, ſuperfluorum & noxiorum excretione, motu & quiete corporis totius alternante ſecundum proportionem virium.

§. XVII.

Pone jam corpus humanum integrum nutriri neceſſariis, excernere excernenda, exterius moveri & quieſcere prout convenit, gaudere motu ſolidorum & fluidorum interno reciproco cum reſpiratione ipſum ſuſtinente; ſiquidem nihil amplius requiritur ad corpus humanum vivum ſiſtendum & ſervandum, ſane corpus humanum poteſt ſubſiſtere vivum & omnino vegetum ſine anima!

§. XVIII.

§. XVIII.

Sed cur non, corpore exiſtente vegeto prorſus & ſano, anima autem ex. gr. per extaſin lætitiæ ſummam ſubito evolante ad aſtra, cur non, inquam, corpus hoc reſtat vivum & ſanum?

§. XIX.

In corpore utique heic nulla exiſtit cauſa mutationis illius repente horribilis, quam appellant mortem. Nam uſque ad momentum illud, quo anima percipitur ſumme commoveri a ſubita lætitia impotenti penitus, nihil animadvertitur non vegetum & ſanum plane in corpore. Si corpus ſine anima poſſet perſiſtere vivum & ſanum, certe hoc in caſu deberet.

§. XX.

Itaque ſine anima vitales motus in corpore perdurare ſponte ſua neutiquam poſ-

ſunt. Certe igitur præſentia animæ neceſſaria ad vitam corporis, certe conferre debet prorſus neceſſarium quid anima præſens ad motus vitales in corpore inchoandos & ſuſtentandos, quicquid demum ſit, quod actionem animantem ſeu vivificantem nuncupare convenit.

§. XXI.

Cum igitur ſine anima animante corpus humanum neutiquam valet perſiſtere, nequaquam iſtud mera eſt machina per ſe ſubſiſtens. Et quis tandem nutriret meram iſtam machinam? quis motu exerceret externo, æque fere neceſſario? quod enim machina per ſe inanimis ſe ipſam nutrire, ſe ipſam motibus laborioſis vel & luſoriis iisque quam maxime variis & arbitrariis exercere poſſit, quis non hoc ineptiſſimis adnumeret figmentis aëreis? In morte quidem corpus humanum fit mera machina, aſt quam primum fit, corruit per ſe omnimode

mode in chaos putridum & pulverem inanem. Ecce Automaton!

§. XXII.

Corpus humanum vivum cum non ſit nec eſſe poſſit mera machina per ſe ſubſiſtens, eſt revera organon animæ vivificantis illud & arbitrarie moventis, nutrimentis id ipſum & cura integrum ſervantis circumſpecta. Num forte corpus non eſt vivum, quia ipſi adeſt anima? ſed adeſt corpori anima, quia ipſum eſt vivum? quis non hoc videt abſonum? corpus mortuum eſt iners, ſine activitate ſtructuræ. Anima igitur, corpori juncta, eſt principium, & unicum, & ſufficiens, activitatis corporis ſtructi vivæ, ac eo ipſo iſtud non merum eſt Automaton, ſed neceſſario & naturaliter organon illius principii activitatem largientis vitalem.

§. XXIII.

Et ipſam ad ſanitatem corporis quid non mentis confert regimen cordatum? Nam tranquillitas, alacritas & magnanimitas animi quantæ eſt præſtantiæ, quam ample vivaciterque expertæ, ad ſanitatem tam recuperandam, quam firmam conſervandam, imo proferendam in longævitatem uſque ſerenam? — Sed conſervatio ſanitatis per debitum etiam corporis regimen maxime imperio mentis rationalis ſubjacere apparet. Nonne nutritionis modus, menſura, tempus, nonne munitio contra injurias aëris, noxas ſenſuum, violentias alias periculoſas, nonne juſta excretionum cura, nonne exercitia motoria cum modo & tempore quietis ſumendæ, quamplurimum directionem rationalem mentis liberæ præſentiſſimæ & exigunt & ſequuntur? Ergo & ſine rationali in corpus regimine nulla unquam ſanitas diuturna, nec multum firma ea ſine mentis ipſius ſanitate quadam ad mini-

minimum mediocri, cujus harmonicus valde in corpus influxus eſt plurimum ac præcipue affectuoſus, ut vividiſſime manifeſta loquitur experientia.

§. XXIV.

Videmus jam repertum in animæ ſanitate, tranquilla ſcilicet, alacri & magnanima vel ad minimum non nimis turbulenta puſillanimique mente, columen ſanitatis corporis pneumaticum, vel omnino ethicum, eximie prorſus adjutorium. Nec minus retectum habemus ejusdem columen alterum principale pneumatico-phyſicum, rationalem nimirum curam corporis ſeu Hygienen naturalem exercitam, quæ variis maxime motibus voluntariis recte adhibitis in actum venit.

§. XXV.

Motus voluntarios exſequitur anima per impulſionem auctam fluidi nervei, in quod proxime agit vis motrix animæ agiliſſima.

§. XXVI.

Sed & alios motus in corpore efficit anima, in quibus ſeſe manifeſtius illi produnt, qui pathematum animi fortiorum conſectaria ſunt inſeparabilia, voluntati liberæ non parentia, corpus vero graviter afficientia. Quales affectus animi extravagantes præcipue ſunt ira, terror, mœror, gaudium nimium. Horum igitur affectuum motus neceſſario conſequentes in corpore nuncupari apte ſatis poſſunt *motus pathetici*, ab anima per commotionem fluidi nervei graviter affectivam concitati.

§. XXVII.

§. XXVII.

Ordinatio & moderatio affectuum animi cum tantum ad ſanitatem conferat, quantum inordinatio & exorbitantia illorum ad læſionem corporis, utique effectus ſanitatis mentis, quamvis placidior & longe minus ſenſibilis, non minus vere ab actione animæ rectæ dimanabit; itaque a vi mentis tranquilla, alacri, magnanima conſervatur indubie & promovetur motus fluidi nervei ordinatus, placidus, liber, vegetus, actiones corporis naturales ſuſtentans & animales facilitans. Exercet hoc modo mens ſana in corpus ipſa hac ſua ſanitate, ſeſe quaſi communicante, actus confortantes & jucunde facilitantes motum illum fluidorum ſanitati inſervientem corporis.

§. XXVIII.

Et cum ſuperius evictum ſit, motus vitales in corpore ſubſiſtere non poſſe ſine ani-

ma præſente vivificante, licet nulla percipiamus attentione, nos producere motus vitales, haud minus tamen firmum inde eſt, actionem animæ vivificam in corpus noſtrum perpetuo neceſſarioque influere per æquam & naturaliter ſuavem promotionem indeſinentem ſecretionis liberæ fluidi nervei & liberi ejus influxus in organa vitalia.

§. XXIX.

Uti anima communicat corpori motus varios neceſſarios ac voluntarios, per fluidum nerveum commotum, ſic corpus per objectorum ſenſibilium impreſſiones mediante fluido nerveo propagatas communicat animo ſenſationes externas, easve excitat. Senſatio excitata commovet animam ad exſerendum protinus in corpore motum vividum. Et quia hic motus immediate ſequitur manifeſteque ſenſationem, hæc ipſa conſideratur ceu proxima motus in corpore humano cauſa.

§. XXX.

§. XXX.

Motus igitur ſanitati inſervientes, quatenus a ſenſatione dependent, a tali debent pendere ſenſatione, quæ motuum juſtum, liberum facilem promoveat progreſſum. Ad hunc finem ordinarie ſenſatio nulla faciet niſi vegeta & grata, proportionate ad vires & ſenſibilitatem corporis. Evidens enim eſt, languidam, nimiam, vel moleſtam ſenſationem huc ſane non facere. Atque ita ſenſatio ordinarie ſufficienter vegeta, moderata, lenis & grata, ceu proxima motus fluidorum vegeti, liberi, facilis, æqui cauſa, merito conſtituenda venit inter principia ſanitatis præcipua ceu phyſico-pneumaticum ſatis univerſale, ſi non & primigenium.

§. XXXI.

Ut talis ſtatus ordinarius ſenſationis ſufficienter vegetæ & gratæ, continuo, quantum

tum fieri poteſt, obtineatur, ſatis bene Hygienes naturalis efficit exercitium rationale in corpore integro, diſponens id ipſum ſemper ad hunc finem, ſolertia naturali quadam diætetica, quam inſpirat ingens omnibus conſtansque deſiderium ſe bene habendi.

§. XXXII.

Cum fluidum nerveum ſit inſtrumentum animæ proximum ac primarium, tam ad ſenſationes a corpore recipiendas, quam ad motus ſuos ipſi communicandos; motus hujus eximii prorſus fluidi cum qualitate & quantitate ejusdem decenti ordinatus inter cauſas corporeas omnes faciet maxime ad vegetum pariter ac jucundum animæ cum corpore commercium, quod ſanitatem, ut vidimus, tam egregie ſtabilit. Num vero dubium forte eſſe magnum poteſt, fluidum hoc indolis eſſe variæ in variis corporis conſtitutionibus & temperamentis, imo & ſecun-

ſecundum varia animorum ingenia conſuetosque non minus varios agendi modos? quamvis generaliter ſit mobilitatis perniciſſimæ, & fere lucis inſtar, ſubtiliſſime ſuam exſerat elaſticitatem.

§. XXXIII.

Age, attendamus ſolummodo ad temperamenta vulgariter nota. Melancholicis certe, naturæ torpidæ & ut plurimum robuſtæ ſenſibilitas ac vividitas valde parva, tarda, fere anxia. Nonne hoc a minus ſubtili, minus mobili, graviori fluido nerveo? Phlegmaticos, languidos ac imbecilles natura ſua, ſenſibilitas vividitasque tardiſſima, debiliſſima vix animat. His ſane haudquaquam ineſſe poterit fluidum nerveum nimis mobile, fugax, ſatis expeditæ ſubtilitatis & validitatis aut puræ ac vividæ claritatis. Sed qualis contra ea vigor ſe exſerit fluidi nervei in cholericis? quanta facilitas & jucunditas ſenſuum & motuum in ſanguineis?

Num

Num forte amplius ambigemus multum de diverſiſſima fere fluidi nervei indole in infinita hominum diverſitate? Infantes ac femellæ teneriores ſummam ſenſibilitatem cum pari ferme debilitate monſtrare ſolent. Quid inde facilius concludendum, quam quod nimis mobile, abundans, at parum oppido validum, in iis dominetur fluidum nerveum? Notum eſt generaliter, ætates plerumque relationem habere ad temperamenta valde propinquam, puerilem nempe ad phlegmaticum, juvenilem ad ſanguineum, virilem ad cholericum, ſenilem denique ad melancholicum. Nonne igitur & in variis ætatibus varia fluidi nervei, ut reliquorum, conſtitutio? Non minus adeo, quam in diverſo ſexu, ubi notatur ut plurimum in feminino vel levitas ſanguineæ temperiei vel debilitas phlegmatica, ut in virili magis ardor cholericus vel gravitas melancholica.

§. XXXIV.

§. XXXIV.

Quis inde amplius dubitabit, varia corporis conſtitutione ac mutatione præcipue in morbis gravioribus, variari qualitatem fluidi nervei? Sed quod etiam ab actione mentis varietur indoles ejusdem, minus forte videtur evidens. Verum attende, quæſo, ad cholericum mœrore profundo diuturnoque prægravatum. Activitatis loco vivaciſſimæ reſtat actionum languor & torpor omnium, vigori maximo ſucceſſit proſtratio virium univerſarum. Hoc num potuiſſet fieri ſine maxima fluidi nervei alteratione ab actione mentis continua gravique? Vel ſi eadem manſiſſet prorſus indoles fluidi hujuſce, quæ impedimenta, quæſo, extranea ad inertiam magnam id tandem deducunt tam graviter, invincibili quaſi pondere ac obice adverſus vividitatem & fortitudinem ſuam ſummam ſemper in hoc igneo temperamento? Corpus non eſt mutatum ante mœrorem, floridum optime vige-

vigebat, anima ſola id mutavit mœrore ſolo. Et in quid proxime agit primoque tota niſi in fluidum nerveum?

§. XXXV.

Evidens igitur, ab animæ activitate pendere non minus certe, ſi non magis, quam a conſtitutione ac mutatione corporis, fluidum illud noſtrum ſubtiliſſimum. Sed & quantum a corpore pendere debeat varie diſpoſito, luculentum facit fundamentaliter origo hujus fluidi. Hanc nimirum ex ſanguine ſumit, ſanguis vero ex nutrimentis & vivendi univerſa ratione qualitates ſuas recipit, actione ſolidorum attemperatas.

§. XXXVI.

Jam quantæ ſanguinis ſeſe exſerunt diverſitates & hinc inde mutationes in mortalibus? Cum inſuper ſanguis ſit fluidum cunctorum in nobis quaſi centrale, unde reliqua fluida & ſolida omnia vel oriuntur

vel

vel nutriuntur, confideremus paululum illius conftitutionem, & quia continet fimul omnia quafi feminaliter in fefe, confpiciemus hic univerfam fluidorum noftrorum qualitatem.

§. XXXVII.

Momentum præcipuum qualitatis fluidorum noftrorum confiftit partim in proportione principiorum fluidi cujusque conftitutivorum inter fe invicem, partim vero in eorundem mixtione, quæ vel laxa eft vel arcta vel mediocris.

§. XXXVIII.

Fluidorum humanorum principia funt vel particulæ æthereæ vel aëreæ vel fulphureæ, vel falinæ, vel aqueæ, vel terreæ, proportione combinationis diverfiffima. Pofteriores quatuor funt ad fenfum notabiliores. De principio autem æthereo ac fulphureo ante omnia neceffe & utile duco, ut difcrimen grave hic expromam.

§. XXXIX.

Obtinere nunc inter doctos tantum non omnes videtur opinio, principium ſulphureum eſſe idem plane cum principio æthereo lucido & igneo, materiaque electrica. Idem ſecundum eos eſt cauſa materialis præcipua tam cohæſionis, nutritionis, coloris, quam odoris atque ita volatilitatis, calorisque igneſcentis, flammæ tandem lucisque ipſius, fluiditatis inter omnes ſummæ ac mobilitatis liberrimæ, velociſſimæ. Idem dictum principium cenſetur ſiſtere ſeſe palpabilius ceu terram ſulphuream in mineralibus, ceu oleum, gummi-reſinam, camphoram, in vegetabilibus, ceu materiam præcipuam pinguedinis & viſcoſitatis omnis in animalibus.

§. XL.

Attendamus jam paulisper, materiam præcipuam pinguedinis, gelatinæ, muci, olei,

olei, reſinæ, gummi, terræ ſulphureæ, argillaceæ, ſigillandæ, talcoſæ eſſe materiam univerſaliter pinguem vel viſcidam. Nonne hoc manifeſtiſſimum eſt? En ſenſibus ipſis obvium, ſatis verificansque ſe principium materiale cohæſionis & nutritionis! Atque illud, per quod maxime cohæſionem actuat & nutritionem hocce principium, nonne eſt viſciditas ipſa & pinguedo? Nihil igitur illi magis peculiare, nihil eſſentialius quam viſciditas? Eſt ergo principium viſcidum? A præcipua qualitate accipiat ſervetque hoc nomen.

§. XLI.

Viſciditas eſt vis, qua particulæ fluidi valde cohærent inter ſe. Fluidum unum viſcidius ſemper eſt altero. Quo vero minus cohærendi inter ſe vim particulæ habent fluidæ, eo ſunt fluidiores, eo ſunt magis ſphæricæ. Fluidiſſima igitur omnium materia particulas habebit perfecte ſphæri-

cas & erit omnium minime viſcida. Ignis & lucis particulæ habent exercentque vim cohærendi inter ſe infinite parvam, ſunt ergo fluidiſſimæ, rotundiſſimæ, ſunt minime omnium viſcidæ. Quod minime viſcidum eſt, liberrime & facillime, vivaciſſime & celerrime eſt mobile. Quod maxime eſt viſcidum, plurimum eſt iners ad motum per ſe ipſum, difficulter ſatis, lente, debiliterque moventur ex indole propria nativaque particulæ ipſius. Eſt medium quid inter ſolida & fluida viſcidum, ſemi-ſolidum ac ſemi-fluidum, ad ſoliditatem pariter ac fluiditatem per magis ſolida aut liquida deducibile.

§. XLII.

Principium terreum & ſalinum ſunt principia ſoliditatis, aqueum, aëreum, & æthereum ſunt principia fluiditatis, inter hæc medium eſt & vinculum principium naturale viſciditatis, ſulphureum, & extrema

trema duo, terra ſoliditatis maximæ, æther vero fluiditatis ſummæ principium. Haud inconcinnus ſane ordo elementaris!

§. XLIII.

Nonne id, quod ordinarie, quod conſtanter eſt maxime viſcidum, ab eo, quod conſtanter eſt minime viſcidum, maximeque fluidum, debet omnino diſcerni, & natura ſua plurimum diſcrepare? Quid vero viſcidum per ſe, atque ita maxime viſcidum eſt, ſi tale non eſt principium illud ſulphureum ſeu pingue? Et quid maxime omnium fluidum, fluidum per ſe, ac omnium minime viſcidum eſt, ſi non hoc eſt lucis ignisque materia? Jam vero materia maxime viſcida & minime viſcida, num una erit eademque? Nonne hoc contradictorium?

§. XLIV.

Principium viſcidæ cohæſionis, connexionis glutinoſæ, num erit idem odoris,

volatilitatis, fluiditatis halituofæ principium? Materia ramofæ extenfilitatis & plicatilitatis, flexuofa omnimode, implicativa, involutiva, tenax effetne eadem materia rotundiffima, expanfiva, evolutiva, penetrantiffima? Principium actuofum motus vehementiffimi, ignei, eritne idem materia lenta, & per fefe difficulter mobilis, ex fe fere iners? Et res minimæ cohæfionis, maxime fluida, hæccine tenacis cohæfionis omnis principium erit? Nonne nimia ifta & palpabilis pæne diverfitas, imo vero contrarietas evidens principiorum?

§. XLV.

Quod vero principium vifcidum fit habitaculum, & quidem proprium & unicum, materiæ calorificæ vel igneæ, quod fit ductile, expanfile, in motum igneum fufibile, exhalabile, in tenuiffimas folubile particulas, id quidem plane concedo. Sed aliud eft tamen expanfile, aliud expanfivum ipfum,

ipſum, aliud fuſibile, aliud fluidificum, aliud exhalabile, aliud volatiliſans & ex ſe ipſo maxime fugitivum, ac, ut ita dicam, irrequietæ ſeu indeſinentis actuoſitatis, ſubtilia exhalabilia ſemper exagitantis ac protrudentis in auras, ex corporibus phlogiſtis ſcilicet, odoriferis omnibus, perenniter actuoſa ſcatentibus calorifica vel ignea materia. Principium nempe viſcidum eo ipſo, quod eſt habitaculum facile evolubile, expanſile, fuſibile, ac ſolubile tenerrimæ ac copioſiſſimæ materiæ igneæ, pabulum eſt flammæ igneæ aptiſſimum, unde & dictum eſt phlogiſton ſeu inflammabile, quo quippe non denotatur phlogizon ſeu flammificum. Capitalis tamen eſt obſervatio, quæ perdocet, non omne viſcidum eſſe phlogiſton, ut in ſe plane oſtendunt mucilago, gummi purum, argilla & magna ex parte ſapones, gelatinæ, caſei. Prorſus igitur neceſſe eſt, ut accedat aliquid intime ac ſufficienter viſcido, quo id reddatur

phlogiston. Quid accedet autem sic qualificans nisi Aether igneus ipse?

§. XLVI.

Dignissimæ est gravitatis diversitas illa detecta principii viscidi & ætherei, viam parans pronam ad eruendam clarius & universalius existentiam indolemque veram & imprimis momentosam principii illius, quod in regno minerali perspicaciores statuunt vocantque Mercuriale vel arsenicale, fusionem elargiens, volatilisansque, & in regno vegetabili vaporosum seu halituosum, spirituose fermentificum, quod ipsum vero in animali actus monstrat exhilarantes, inebriantes, narcoticos, expansive suffocantes, & orgastico-putrefactivos, celerrime & effusissime relaxantes dissolventesque in volatilitatem vaporosam. Hoc principium expansive fluidificum, summe rarefaciens & volatilisans, activitatis, ubi non nimis impeditur, per se perpetuæ ac elasticissimæ,

an

an idem ſit cum æthere calorifico, ut vero ſimile, & citra magnum errorem admitti poſſe videtur, diſquirendum ulterius aliis relinquo. Sufficit hic, parum nimis obſervatam, ingentem ejus differentiam eſſentialem a principio viſcido, rationibus manifeſtis annotaſſe pro utilitate in poſterum ampliori exinde ingeniis ad publica commoda perſpicacibus haurienda. Nonne ergo & tale principium æthereum, in nobis actu calorificum, a viſcido erit diverſiſſimum, cum adſit expanſive ſubtiliſans, fluidificum, volatiliſans ſeu halituoſum, elaſticitatis perpetuo activæ, in actione ſua ordinata eademque blanda qualitatis ſuæ debitæ conſtitutum, præſens ſe exſerit præcipue in ſanguine noſtro, cum principia reliqua mixtionis ejus perpetuo ſufficienter rarefaciat, eaque in motum inteſtinum ac progreſſivum ſecum agilime volvat ac effundat, ac denique, quantum per ſe ſuaviſſima ſua halituoſa expanſione in animæ ſedem agit, naturaliter animum ſerenet ac

leniter exhilaret, eoque ipſo eminenter plane ſanitatem mentis & corporis promoveat.

§. XLVII.

Cum in cerebri ſubtiliſſimis canaliculis a ſanguine eximie rarefacto fluida ſecernantur ſubtiliſſima, inter quæ ſummum gradum obtinet fluidum nerveum, valde veriſimile eſt, principii ante memorati calorifici copiam tenuiſſime halituoſam ibi ex ſanguine ſeſe agilime evolvere. Et cum aliunde conſtet, a principii copia ignei ſenſibiliter aggregata materiam lucis longe ſubtiliorem excitari & propelli ad motum vividiorem, ſimile forte quid in cerebro fieri non plane videtur incongruum, per evolutum nimirum ibi maxime principium calorificum, in ſanguine ſatis igneum, excitari & hinc propelli in nervos originantes fluidum ſubtiliſſimum, elemento lucis æthereo analogum momentanea ſua celeritate & elaſticitate initu ſuo & reditu per

ner-

nervos fulguris inſtar ad animam & ab anima, quæ ſic immediate non niſi in omnium ſubtiliſſimis agilimisque materiis, ignea vel calorifica & lucida, verſari videtur omnino. Ceterum quod ſecundum varie conſtituta corpora materiæ lucis & ignis varie modificentur, haud obſcurum eſt. Quicquid ſit, ex recenti detectione præſtantiſſima motus fibrillaris perpetui palpitatorii a Cl. D. Rogerio Monſpelienſi facta, ac imprimis ex inventa ab eodem moderatione ſeu temperatione ordinaria motus muſculoſi per fluidum nerveum, patet hoc ipſum eſſe blandiſſimum movens, quamquam celerrimum, adeoque ad luminoſi naturam ætheris propius reliquis accedens.

§. XLVIII.

Cum principium noſtrum calorificum humores maxime rarefaciat, leves reddat, eorumque motum facillimum & penitus alacrem efficiat, inſuper miti ſua & libera ex-

pan-

pansione in cerebro animum jucunde afficiat, lenem, serenam & alacrem conciliando hilaritatem, nihil sane manifestius est, quam quod temperamentum sanguineum dictum præ cæteris eo maxime abundet principio, facillima & alacri cum gaudeat circulatione fluidorum levium; animoque ut plurimum læto hoc temperamentum. Oppositum huic quasi e diametro melancholicum quantitate vel minima vel maxime saltem impedita & involuta ætheris expansivi, fluidifici, volatilisantis, donatum esse patet. In phlegmatico porro facile videre est, vim vividam calorifici istius ætheris aquositate plurima debilitari, immersamque in ipsa fere extingui. Adversum maxime phlegmatico hominem cholericum e contrario animat vividissime principium illud actuosum, acredini salini elementi præcipue & fortissime unitum, hinc vere & proprie istheic igneum totum.

§. XLIX.

§. XLIX.

Nam vis ætherea expanſive fluidifica non fit ignea per auctam ſolum quantitatem motionemque ſuam evolutoriam, quum per iſtam quidem augmentationem evadat ſolummodo extreme relaxans & debilitans. Etenim in narcoticis principium illud expanſivum æthereum eſt prædominantiſſimum vi vaporoſa maxime effuſa, narcotica autem ſoporem, torporem, lethargum, paralyſin, apoplexiam inducunt nimia portione exhibita nimisque commota; halitus quoque pure narcotici, nullo adventitio vapore ſalino remixti, ita eloquente teſte Cl. Cartheuſero in Fund. Mat. med. ſect. de narcoticis, acredine prorſus deſtituuntur, & inſenſibiliter organa ſenſoria ingrediuntur, ſalini urinoſi autem, aut completi oleoſi non item, priores enim, ſub introitu ſuo per nares, acredinis, poſteriores leniſſimi ardoris ſenſum imprimunt, quæ detectio eximie gravis & pulchra Cl. Viri utiliſſimam

lissimam sese hic præbet. Olea nimirum completa ætherea habent notorie salem sibi intime immixtum, & præter salem constant ex phlogisto viscido, principio expansivo fluidifico volatilisante, aqua & terra; sed nec terra nec aqua nec viscidum nec elementum fluidificum per se ullum ardorem imprimunt, quando nempe unum quodque horum quatuor entium vel solitarium existit vel maxime prædominatur, uti de fluidifico ceu insipido specimen dat Beccherus in Physs. subterr. L. I. S. II. C. IV. n. 6. nec unquam etiam illa quatuor sola puriora quocunque modo commixta ardorem sensumve urentem exhibent, salina materia exclusa aut hac longe parcissima præsente aut maxime involuta; de aëris & lucis materia non est necesse idem per se patens dicere, atque etiam si sal ipsum purius primigenium quacunque misceas proportione cum pinguissimo viscido mero crudo, reliquisque elementis, absente fere vel

minime

minime prædominante principio mero fluidifico expanſivo, nunquam ardoris ſenſus ab hiſce exhibetur mixtis, a ſale puriori autem non niſi acredo ſine calore: Nihil ergo prorſus reſtat ad ardorem, ſenſumve urentem, proprie igneum, efficiendum & imprimendum, quam merum principium ſimplicius æthereum, expanſivo-fluidificum cum ſolo principio ſalino acri intime unitum. Sic exploratum plane & firmiſſimum eſt, vim æthereum expanſive fluidificam, non niſi a ſola vi ſalina puriori intime immixta fieri ardentem, urentem, vere igneam, vi tamenætherea aliquantum prædominante & extraverſa; in alcalibus enim volatilibus ſalinum principium extraverſum & aliquantum prædominans efficit, ut ardor nec ſit tam ſenſibilis nec tam efficax quam in aromatibus, oleis æthereis, & ſpiritibus ardentibus vinoſis, camphoriſque; vis ignea itaque eſt certiſſime vis æthereo-ſalina, haud quaquam ſola ætherea. Hæc

enim

enim ſolitaria ſimpliciter & leniſſime calorifica, ut ſupra memoratum, per ſolam relaxationem expanſivam eſt rarefaciens diſſolvensque, non autem per acredinem ullam; vis ignea autem rarefacit & diſſolvit per relaxationem & acredinem ſimul, per expanſionem & diſciſſionem, agentes unitis viribus alternis. Acredo nimirum principii ſalini aculeis ſuis ſumme ſtimulantibus & intime attractivis conſtringendo vellicandoque perurget vividius violentiuſque vim puram ætheris tenuiſſimi calorifici mobiliſſime concitabilem, quæ inde fit ad expanſionem & reſolutionem vehementiſſima, & ratione acriter vibratoriæ iſtius intimæ vehementiæ fortiſſima, penetrans omnia validiſſime reſeransque; ſic ignea facta vis expanſiva ætherea qualitatem exſerit fervidam, orgaſticam, effrenem, fervore convulſivo diſſolventem & diſſipantem, nempe nimia præſens quantitate & motus licentia. Adjiciamus hic novas quasdam quæſtiones phyſi-

physicis resolvendas ad ampliora inde lumina elicienda: Annon olea ætherea sunt viscida flexilissima? Et flexilissimorum aliquorum proprietas corporum est irritabilitas? Annon principium salinum generaliter est irritans, acidum fortissimum autem maxime? Nonne contrahunt se vehementer olea ætherea in resinam, affuso acido minerali graviori? Nonne ad effervescentiam usque hæc contractio vivida insurgit? Contractio hæc nonne ab irritante acidi acredine, ad constrictionem promtam & perfectam urgente? Nonne igitur irritabilitas in oleis æthereis, in viscidis æthereo-salinis? Nonne ista ipsa sunt ad inflammabilitatem promtissima, ab acido nitri protinus in flammam concitanda? Nonne sic generatio ignis pendet ab irritabilitate? Et irritabilitas elementaris a principio æthereo & viscido junctis? Quis hæc cogitasset? Sed amplissimum plura & experiundi & cogitandi campum circa prima rerum principia

vobis apertum hic pauciſſimis relinquo verbis.

§. L.

Hæc igneæ materiæ dilucidatio fundamentalis clariorem qualitatis principalis temperamenti cholerici præſtat ideam, uti & inſervire poteſt intimiori morborum acutorum cognitioni æque ac medicaminum calidorum ac acidorum. Ignea vero materia, quamvis ad vehementiſſimos maxime motus prona, aqua tamen & acido ſufficienter in humano corpore temperata, præſtantiſſime ipſa fortitudine ſua inſervit ſanitati validæ inprimis conſtituendæ ſervandæque moleſtiisque plurimis magno ſuperandis vigore ac difficulter fatigabili; & cum vere ignea materia in motu vivido conſtituta excitet valide impellatque vim ætheris lucidi, hinc fluidum nerveum fortius ac penetrantius in cholericis, unde iis promta facilitas judicii acris & actiones voluntariæ fortiſſimæ.

§. LI.

Elementi aërei proportio ſolet in corpore noſtro ſequi proportionem viſcidi & aquæ crudioris, cum ſit amice interjectum ut plurimum viſcido & aquæ in omni, quo utimur, victu, hoſpitans manifeſtius in iis animalibus corporibus, quæ magis ſunt participia viſcidi & aquæ crudioris, qualia ſunt melancholica & phlegmatica. Inhabitat vero etiam ſubtiliatus valde ac ſubinde tenuiſſime per ætherem expanſivum abundantem diviſus aër corpora temperamenti ſanguinei, ſpongioſa quippe & levia, ac tenuis compreſſior multo in corporibus latet cholericis. Id quod æther in ſubtilioribus præſtat partibus, hoc vere expedit aër in craſſioribus, miniſterio apte ſecundante rarefactivæ ſuæ expanſionis, æque ac gravitate ſua premente ac impellente, ubi denſatus coarctatusque eſt, cujus tum etiam elaſticitas calore humano eximie augetur, & ad ſummum evehitur forti particularum

ignearum actione: Maxime vero activo ejus auxilio perficiuntur respiratio & concoctio.

§. LII.

Principium viscidum sive sulphureum omnia reliqua elementa sibi habet intexta, imo communis eorum quasi matrix est, ac pro varia & multiplici illorum cum ipso adepta complicatione formas multiplices, qualitatis mire admodum variantis, assumit, quare & in corporibus nostris habitu & agendi modo variat multum sane diverso.

§. LIII.

Triplex tamen in universum classis viscidorum corporis nostri denotanda venit, oleosa, gelatinosa, & mucosa. Sanguis hæc tria simul continet genera, oleosum in cruore suo rubro, in sero autem suo gelatinosum & mucosum. Blandus hinc & subsalsus liquor est sanguis sanus, cujus blandities plurimum cruori oleoso adscribenda,

benda, permodica autem falfedo illa fero ipfius fapidiori. Ex oleofo cruore proveniunt bilis, cerumen, febum, oleum fubcutaneùm, pinguedo, medulla. Et oleofitas ifta cruoris ex butyracea chyli pinguedine. Ex fanguinis vel feri potius parte gelatinofa liquor lymphaticus omnis, cavitatum cerebri, pericardii. pleuræ, peritonæi, capfularum renalium, tunicæ vaginalis, inteftinalis, gaftricus, articulorum, amnii denique, uterique. Mucofa feri fanguinei portio præbet diffufum œfophago mucum, canalique inteftinorum continuo, ut & tracheæ, receptaculis canalibusque urinariis, genitalium cavitatibus, quibus femen demum exhibet.

§. LIV.

Attingamus breviter naturam oleofitatis in lacte, cruore, bile, ac deinde gelatinofitatis & mucofitatis conftitutionem. Lactis pars oleofa cremorem format, ac inde com-

preſſius ſiſtit butyrum, frigore denſabile in coagulum pinguedinis animalis æmulum, & conſtat ex viſcido ad fluiditatem flexiliſſimo, quod tale fit inhabitatione ſufficienti principii ætherei fluidifici, cum ſubtili principio ſalino acido, multa cincto aqua & pauca terra, eoque teneriori per mixtionem ſolutivi acidi ſubtilioris. Viſcidum tenue diſponitur hac miſtura per acidum ac terreum tenerum ad ſubeundum facilius coagulum, ubi ab aqueo & fluidifico magis deſeritur aut privatur principio, atque ex adverſo, ubi hæc ambo magis vel augentur vel in actione adjuvantur, ruit ad fluiditatem. Hinc tam cum fluidis aptum volvi & rapi in circulum, quam coaleſcere cum ſolidis atque ita, in pinguedinem verſum, nutrire. Sed ipſa adeo in fluiditate, quæ lymphæ affuſæ pariter ac ſero lacteo comitanti debetur. Viſcidum chyli oleoſum, currenti commiſtum calidiori ſanguini, fit inde denſius agitatione & compreſſione inteſtina globulorum ſuorum inter ſe

invi-

invicem. Hinc protinus fit cruor gravior & indolis chylo calidioris, cum condenſatione iſta tam particulæ terreæ cum ſalinis gravitantes haud parum aggregentur unianturque quam ab his ipſis reſtrictæ magis ſphærulæ æthereæ principii expanſivi fluidifici aut calorifici ad vibrationem incitentur vivaciorem, calore expanſivo ſenſibilem, qui globulos viſcidi oleoſi in cruorem denſatos efficit vivide fluidiſſimos. In cruore ſeu oleo chyli denſato & in fluorem vividum acto plurima ſe evpandit vis blandiſſima principiiætherei fluidifici, ſive calorifici ſimplicioris; in oleoſo ſanguine ſcaturigo caloris vitalis ſuavis partium corporis omnium. Sed bilis noſtræ natura acrior viſcidum magis igneum exhibet, ex ſanguine inſigniter ad putreſcentiam fere alcaleſcente & ſaponaceo venæ portæ progenitum, hinc acri volatili lixivo ſale, oleoque penetrantiori & fervidiori plenarie activum, vividitatis ſane, ubi proruit immoderatius irritata, multum ſanguine ardentioris, ve-

hementiusque cum acri æſtu dolorifici & convulſivi, quod igneam ejus naturam ſatis ſuperque patentem oſtendit. Potentiſſimum eſt in corpore vivo ignea iſta ſua oleoſitate menſtruum diſſolvens & transmutans nutrimentorum, concoctione ſtomachi in pultem mucoſam emollitorum, fons hinc vivus fomentumque vigoris chyli, ſanguinis, reliquorum humorum, ipſorumque inde ſolidorum.

§. LV.

Gelatinæ animalis mixtio enaſcitur ex inſigni terræ tenerioris copia, intime ſale ſubtili ammoniacali penetrata, leniſſimo inviſcata oleo unguinoſo, & aquæ vi blande commiſcente contemperata. Terra tenera & viſcidum æqualiter hic videntur ſeſe amplecti ad firmiſſimum ſuppeditandum temperatiſſimumque cum involuto ſale mediovolatili gluten ſolideſcens penitus pro partibus corporis ſolidis omnibus, exhalan-

te

te per calorem vel cxclufa per compreffionem aqua fuperflua. Qua vero eget, ubi liquida adhuc debet effe vis gelatinæ, dilutiorve albuminofa lympha, temperans maxime ac mitigans omnia, quæ vel funt fervidiora, vel acriora, vel rigidiora. Summa vero gelatinæ neceffitas eft & utilitas ad glaten illud vividum fuppeditandum, quod omnium fibrarum mufcularium præftat irritabilitatem, motibus vitalibus & naturalibus fuftentandis voluntariisque exfequendis principaliter inftrumentalem, in ingens hnmani generis emolumentum ab illuftri de Haller inventam explanatamque; neque enim minoris eft gravitatis inventa irritabilitas animalis, quam circulatio fanguinis inventa, imo cum ab illa hæc dependeat, & difficilior inventu caufa fit quam effectus, evidenter illa graviori fe commendat amplitudine atque utilitate.

§. LVI.

Mucoſitas denique viſcidum nobis omnium maxime aqueum oſtendit, frigidum & fixum. Nam paucum admodum diſtenditur viſcidum in aqueas partes copioſiſſimas, complectentes etiam in ſeſe teneram aliquantum terram leni & ſubtili acido nexam. Exhalata aqua viſcidum terreo-ſalinum non gluten format gelatinoſum, ſed cruſtas modo ſiccas. Mucus juſta præſens qualitate & copia nimiam cohibet ſenſibilitatem & irritabilitatem, acredinem involvendo lenit, ardorem temperat, damnum ab affrictione præcavet, corruptionem ab externo aëre admiſſo imminentem avertit. Nullum viſcidum, præter hoc & gummipurum, apparet minus continere caloris ſeu principii calorifici, & materiæ igneæ minus eſſe receptivum. Purius ideo poteſt æſtimari ſeu genuine magis elementari accedens indoli quam reliquæ viſcidorum ſpecies, cum ſic ſatis ſimpliciter ſit viſcidum. Quod ubi obtinet,

tinet, eo patet magis, vifcidum non effe materiam ipfam caloris, ignis, lucis, electricam, fed potius effe ens frigidum per fe & obfcurum, & mobilitate per fe lentum, fixumque in igne, & implicativum, totum adeo connexivum, haudquaquam fane evolutivum, imo fere potius aphlogifton quam phlogifton.

§. LVII.

Jam vifcidi elementi quod habitum attinet ad temperamenta, patebit facile, fanguineum abundare vifcido oleofo leviori, ætheris expanfivi fimplicioris magis pleno, cholericum igneo magis, biliofo valde cruore, melancholicum porro gelatina inprimis tenaciffima cum cruore maxime gravi, terreftri, fufco, phlegmaticum denique obrui mucofo.

§. LVIII.

§. LVIII.

Salinum quidem principium in corpore animali, minime videtur adeſſe explicitum. Generaliter tamen ſanguini ſal marinum & ammoniacale conſtat ineſſe, quod in ſero maxime latet gelatinoſo. Interea ſecundum varietatem temperamentorum mediam ſuam ſal illud vel magis vel minus perdit naturam, ſic ut in cholerico magis ad alcaleſcentem vergat indolem volatilem, in melancholico magis ad alcaleſcentem fixam terream ſeu calcaream, terreo - gelatinoſam, vel ſubinde cum viſcido graviori potius tartaream, in ſanguineo magis ad acidulam ſubtiliter volatilem, in phlegmatico magis ad frigidam acidam crudiorem, volatilitate minus gaudentem.

§. LIX.

Aqueum vero elementum, ſatis manifeſtum in corpore noſtro, juſta quantitate & fluiditate ineſſe ſanguineo apparet, in cholerico

lerico adeo uſque fluidum & tenue, ut plurimum facile exhalet, in melancholico ſalibus terreſtribus viſcidoque tenaciori gravatum, in phlegmatico frigidum, lentum, & diffuſum maxime.

§. LX.

Terra demum, ſoliditatis omnis cum ſale & glutine ſicciori fundamentum, imo & roboris, quippe a denſiori ſoliditate firmitas exiſtit robuſta. Non item gravitatis communicativum eſt maxime principium, quanquam videatur multis ob denſitatem id eſſe. Hæc enim qualitas gravifica ſali potius primigenio, acido fortiſſimo, tribuenda venit, cum, quo plus acidi fixioris materia quædam contineat, tanto ſit gravior, ſicut e liquoribus ponderoſis conſtat omnibus, atque ex ſolidis exemplo eſſe ſulphur, ſuccinum, vitra mineralia & metallica poſſunt, reſinæque & ſalia acida in vegetabilibus; ita ut elementum ſalinum acidum primige-

migenium aperte ſit veriſſima materia gravifica, maxime centripeta. Ob rectilinearem enim formam rigidam parallelis ſe ſibi invicem exactiſſimis aptare & jungere poſſunt particulæ ejus, hinc fieri denſiſſimæ & graviſſimæ. Elementum tamen terreum præ reliquis ſua denſitate hanc ſalis gravitatem augere, facile poteſt admitti. Denſæ enim inſigniter ſunt elementares particulæ terreæ, cum nec poros ullos directos luci pervios præbeant, neque etiam incurvos ad abſorbendum lumen, quare purum id rejiciunt albidæ. Sed cum penitus inodoræ, inſipidæ, inſolubiles per ſe ſint, nullius hinc aciei vel rigiditatis nec flexilitatis, & cum nullo plane modo per ſe igne reduci ad fluorem ſe patiantur, & ſicciſſimæ fixæque per ſe maneant, patet quod æque parum rotundæ ſint quam acutæ, ergo figura iis irregularis obtuſangula reſtat adſcribenda. Tales vero particulæ ſeſe inter ſe per ſemetipſas prorſus nequeunt exacte jun-

jungere, nec densum formare unquam totum, sed molle pulverulentum semper, adeoque pondus non facient sine additamento alieno arctius consolidante. Sola igitur siccitas fixa, densa, pulverea Terræ elementaris sine gravitate & rigiditate principii salini & glutine connectente viscidi basin soliditatis non facit, ad quam conformandam etiam aquæ, volatili igne orbatæ, vel constricto per acidum fixum æthere imprægnatæ, consistentia glacialis vel quasi gelatinosa & crystallina haud parum confert, cum spærulæ aqueæ per se jam sint firmissimæ duritiei. Ipse fluidus aër, solidis sese insinuans flexiliter particulis, cum viscido aquam terramque compingit, quod omnis monstrat solutio bullas emittens. Sed & æther expansivus fluidificus mediante ut plurimum viscido tenerrimo sulphureo terræ se sociat, & cum principio acri salino certe ad subtilitatem mixtionis intimioris atque ita minus dissolubilis activitatemque

solidi

solidi elasticam vel irritabilem facit plurimum. Sic jam progeniem primitive mixtarum partiri terrarum secundum majus hic vel illic reliquorum elementorum condominium possumus, in terram nempe salinam, crystallinam seu vitrescibilem, pinguem seu sulphuream & gelatinosam, mercurialem etiam subtilissimam seu aëri ac ætheri fluidifico cum viscido vel sale coaptatam.

§. LXI.

Variam tam salinam quam pinguem reperiri terram in corpore nostro, perspicere datum satis est. At annotemus insigniora pauca de crystallina seu vitrescibili, & mercuriali, quarum utraque cum pingui alias producit metalleitatem. Terra crystallina seu arenosa moleculas sistit naturaliter vitreo-terreas compactas. Undenam vitrea consistentia & indoles? Si simplicissima est crystallinæ terræ progenies, non nisi ex pellucidis ac durissimis per se aquei

ele-

elementi particulis cum terræ elementaris atomis ſiccis mediante ſubtili acido gravifico intime infixis conſtabit. Sed magis compoſita eſt vitrorum natura. Uti ex animali gelatina indureſcente fiunt oſſa & cornua denique duriſſima, ſic omnino videtur ex minerali glutine, ſuccineæ naturæ, ad tenacitatem ſummam per acidum fixiſſimum cum compacta aqua concentrato magis magisque, enaſci materia vitrea. Nam quod lapides vitreſcentes ex glutinoſo plurimum magmate conſtent, obſervatio tam nativitatis quam reſolutionis illorum ſagaciſſimos dudum docuit. Quod autem gluten hoc univerſale ſit indolis ſuccineæ, indicium ſumatur ex materia, quæ communis eſt ſuccino, vitris, cryſtallis, gemmis illuſtribus, materia nimirum electrica originali, mixta ex acido plurimo graviſſimo cum phlogiſto & arſenicali terra arcte ſtipato, quod mixtum igneo-elaſticum in ſulphure & ſuccino ſeſe exhibet ſolidum, durum,

grave, in vitris duriſſimum, & inprimis ponderoſum cum pelluciditate apparet aquea. Quo tenacius autem & gravius viſcidum, eo plus acidi conſtringentis fixantiſque continet. Et viſcida ſic tenacitas ad duritatem uſque graviſſimam compacta plurima ab acido fixiſſimo & ſtringentiſſimo, viſcida indurante, dependet. Monſtrat hoc Kunkelii memorabile experimentum, quo ex oleo vitrioli concentrato & oleo terebinthinæ puro non fixa ſolum & dura gravisque obtinetur reſina, mineralis æmula glutinis, ſed remanentia quoque denſitatis ſabuloſæ, diſpoſitionis vitreæ. Quod etiam ſulphur ipſum, indolis proxime ad ſuccinum accedentis, vitream in ſe gerat diſpoſitionem, apertum præbet documentum egregium Stahlianum, dum non minus, quam fuſione arenæ cum alcali, ſulphure fuſo cum ſale alcalino, vitrum ſubnaſcitur, expandente hic alcalico ſale vi ſua ignea viſcidum terreum & aquam, conſtrictas

acidi

acidi matrices, in fluorem vitreum. Imo phoſphorus fuſus per ſe jam in vitrum abit. In phoſphoro ergo, ſulphure, ſuccino, bitumine, reſinis latet graviter gluten vitrificum plurimum. Id quod ſumme extinuatum, & aqueo-terreas intime firmiterque contexens particulas, præſtat vitreſcentem terram & lapidem igne fuſilem, baſin metallorum primam, graviſſimam, electricam. Quod tamen & citra ignis violentiam in regno vegetabili terra emergat vitreſcibilis, Kunkelius eſt expertus in putrefactione aceti bene moderata, ubi terrea, limoſa, pulverulenta apparens feculenta ſeceſſio in ſubtiliſſime ſolidam, denſam, firmam tranſit compactionem, quippe materia iſta ſubſidente in ſabulum durum aggregata. Calculi, ſabuloſi nonnunquam, in animalibus concreti corporibus, idem de regno teſtantur animali.

§. LXII.

Terra quidem mercurialis quiddam, at perpaucum, in ipſa latere materia vitrea omni, vitrorum fortiter attritorum odor alliaceus, ſulphureo-arſenicalis, phoſphorinus utique prodit. Paucum vero nimis id eſſe, metalleitatis perfectæ in ipſis vitris metallicis defectus indicat, qui tollitur protinus inſinuata ſufficienter terra mercuriali. Fit iſtud in fluore vitrorum metallicorum additione ſufficientis ſubſtantiæ pinguis, cui quidem ſemper copia terræ mercurialis eſt injuncta. Sed quid tandem hæc ipſa? Pinguem viſcidamve ſubſtantiam aſſeruimus per ſe eſſe principium materiale cohæſionis, nutritionis, coloris, & quoad metalla nobis eſt etiam ductilitatis eorum ac malleabilitatis ex parte principium. Terram mercurialem dicimus fuſibilitatis ipſorum & volatiliſationis præcipuam materialem cauſam. Sed fuſibilitas viſcido ex parte etiam in commixtione minerali compe-

tere

tere poteſt, paſſive tamen, nequaquam active ſeu modo per ſe fluidifico, quod poſterius mercuriali præprimis ſive æthereo datur principio. Hoc principium diximus eſſe expanſivo-fluidifico-volatiliſans. Iſtud quidem in animali & vegetabili regno non poteſt non eſſe fermentationis & putrefactionis principium magnum. In poſteriori eſt proprie odoriferum, halituoſum, vaporoſum, fumans, inebrians, ſoporiferum, ſtupefactivum. Latet præprimis in Narcoticis, deinde & in balſamicis, in ſale communi & ſalibus oleoſis volatilibus tam alcalicis quam acidulis, & concentratum inſigniter in croco, opio, aſa fœtida, & inter animalis regni ſubjecta in caſtoreo, moſcho, zibetho, oleoque animali Dippeliano, ac inter mineralia in ambra, arſenico, mercurio vivo, Saturno. Cum adeo concentratum inſit rebus tam ſolidis, ut opio, ambræ, arſenico, intime terreis immixtum exſtat particulis, volatiliſſimis per hoc

ipſum principium halituoſum factis, adeoque ſumme attenuatis. Cujus rei documentum attentione haud levi dignum occurrit in ſola adeo tritura Saturni & Saturninorum frequenti, quæ effluviis inviſibilibus tractu temporis manus & reliquum corpus languore ac ſtupore induit ſubinde prope paralytico; effluvia illa non alia quam ſubtiliſſima terrea, quippe metallica, eſſe poſſunt, quorum mercurialis relaxantiſſima nimis active patet qualitas. Terra hæc mercurialis metallifica, impertiens metallis maximam mollis ductilitatis & malleabilitatis partem cum fuſibilitate & volatilitate, ut hoſpitet etiam in ipſo corpore humano neceſſe eſt, cum ferri haud plane contemnenda reperiatur copia in cruore calcinato, quod tamen metallum minimam inter omnia terræ mercurialis quantitatem, maximam terræ vitreſcibilis refractariæ continet. Quod hæc terra mercurialis haud proprie pondus largiatur metallis, ut multis

tis visum fuit, sed potius levitatem aliquam, elucescit satis ex ingravescentia metallorum vitrificatorum, quorum pondus, vitrificatione acquisitum, reductione per terram phlogisto-mercurialem ad statum metallicum rursus perit. Regeretur Mercurius vivus? Quid autem hic ipse esse potest nisi pura gravissima omnium terra vitrescibilis metallica, principio nostro expansivo-fluidifico-volatilisante summe subtili divisione penetrata, maxime ingravidata, & fluidissima eo ipso facta volatilisque plane? Percute principia rerum omnia, an aptius quid invenire queas pro ejus & affectionum suarum explicatione? Est scilicet terra vitreo-Mercurialis, non simplex vel sulphureo-Mercurialis ut universalior nostra. Sed cum in pingui corpore quocunque Mercurialis æque ac inflammabilis adsit terra, & pinguedinis cujusque pars combustibilis non sit phlogista nisi per injunctam sibi sufficienter materiam igneam sive æthereo-salinam;

pars altera non combuſtibilis, ſed fumans, exhalans, aëreæ volatilitatis & expanſibilitatis, elaſticitatis penetrantiſſime rarefactivæ, fluidificæ, habebit ſibi innatum magis Mercuriale principium purius, ſeu æthereum ſimplicius, his poſterioribus qualitatibus aptiſſimum exſerendis. Celebratiſſima cum ſit pars pinguitudinis ſeu viſciditatis ignifera, phlogiſta, colorans, reſtabit altera pars, vaporoſa, halituoſa, ignem prædominio extinguens, ſulphur fumans, asbeſtum, opacans, purioris principii Mercurialis habitatio, facile momentoſioris adhuc conſiderationis, ulterius perquirenda ſolertibus naturæ ſcrutatoribus, quibus anſam ad ampliora ſuppeditare parumper fert animus per annotata hæc quantulacunque. Pingue igniferum magis reſidit in concretis camphoratis, oleis æthereis, naphtis, bituminibus, reſinis, ſulphureis proprie dictis. An fumigerum viſcidum occupat magis pinguedines & oleoſitates craſſius ungui-

guinoſas, maxime aqueo-terreas, ut gelatinas, albumina, gummata, mucagines, ſuccos dulces inſpiſſatos, ſapones, fuligines? omnino videtur. Sed plerumque in eodem viſcido & combuſtilitas adeſt & vaporoſitas vel fumifera halituoſitas, rarius ſeparata exiſtente alterutra. Quod quidem delicatiorem reddet inquiſitionem diſtinctam vinculi & vehiculi viſcidi proximi ac ſingulariter proprii terræ Mercurialis agilimæ, fermenti omnium univerſalis. Videtur vero eſſentia vaporifera Mercurialis etiam ſine omni uſquam perceptibili viſcido vel pingui vinculo aut vehiculo præſentem ſeſe ſiſtere potentiſſime & clariſſime in oleo vitrioli coagulato, ſeu deſtillatione ſine aqua præpoſita condenſato in glaciei vel lamellarum vel granulorum forma, fumante aſſidue. Sic in hoc ipſo frigidiſſimo ſale Mercurialis terræ, acerrime concitata ad motum fumificum perpetuum ſine ullo igne. Acidum nitri concentratum, phlo-

gifto fubtili magis imbutum, fua cum oleis æthereis inflammatione, & acidum falis communis fumans arfenicali fua indole fatis evincunt, ipfis principium æthereum feu Mercuriale fluidifico-volatilifans ineffe, cui fumatio eorum continua tribuenda. Hinc autem nonne iterum elucefcere incipit illa in principio potiffimum æthereo, adjunctoque tenuiffimo vifcido, §. XLVIII. indagata irritabilitas? ut prius inprimis merito principium elementare primitivum irritabilitatis omnis mineralis, vegetabilis, animalis venire queat falutandum, cum vifcido elemento, vel & cum terra falina primigenium conftituens mixtum irritabile. Elementaris enim datur irritabilitas in atomis contractilibus mollibus, qui expanfiles fimul, vel expanfivi, ut in æthereo & vifcido elemento, medioque inter hæc aëreo, flexilibus valde omnibus vario, ut videtur, gradu modoque. Eruenda ulterius hæc & quantum fieri poteft profequenda per omnia natu-

naturæ regna irritabilitas universalis non medicinæ solum, sed & præsertim parti fere potiori chymiæ physicæque novam induere faciem valebit, vivam animosamque jucunda soliditate ac augescente familiari proficuoque splendore, ignis instar electrici se propagante.

§. LXIII.

In sanguinis nostri cruore ponderoso, cujus densissima pars ad terream inclinat glutinositatem, particulæ terreæ gravissimæ erunt vitrescibiles, testante id potissimum Martiali terra in calce cruoris inventa, promittente idem origine vitreæ soliditatis e gravissimo glutine terraqueo, quod ad compactionem igne fusibilem ac diaphaneitatem aqueam dispositum est. Sic in cruore gluten habitat magis minerale electricæ indolis, uti in sero gluten animale gelatinosum, irritabile. Gravissimæ vero eædemque densissimæ sanguinis particulæ ad fortiorem

tiorem una cum oleo ignifero maxime faciunt circulationem, & robuſtiorum ſunt origines ſolidorum. Nimium deficientes autem illas æque ac nimium coacervatas patet nocere, priori caſu per laxitatem nimiam, poſteriori per ſtricturam injuſtiorem ſtaſes ſpiſſitudinis producendo & obſtructiones. Ex adverſo ſubtilem terram Mercurialem, halituoſe volatiliſantem, in ſero habitare ſat convenit aqueo-gelatinoſo, ad perſpirabilitatem ſuperflui perpetuo diſponendo, promovendo, exagitando, id quod haud difficulter agnoſcitur exinde, quod ſemper exhalet vaporis inſtar non cruor, ſed ſerum lymphaticusque liquor, exſudet etiam aliquando, pro ſanitate vel conſervanda vel reſtituenda, effectu manifeſte naturali actuoſi perenniter principii fluidifici, halituoſi, vaporoſi, quod, ut in prioribus fuit notatum, per ſe ſimplicius in viſcido aqueo magis quam igneo domicilium habere amat aptumque eſt, & ſic maritatum firmiter

miter nectitur terreo elemento ad perpetuam ſubſiſtentiam, maxime quippe adhæret leviſſima ſubſtantia ſolidis graviſſimis.

§. LXIV.

Quæ jam terrarum ſit varietas diverſis in temperamentis, facienda mentio. Terræ Mercurialis igitur plurimum tam in ſero quam cruore ſanguineorum erit, in poſteriori modicum terræ pinguis igniferæ, terræ vitreſcibilis gravioris parum, terræ alcalinæ & tartareæ ſeu acidæ ſatis bona temperatura, ubi tamen ſalina indoles tam alcalina quam acida plus volatilitatis habet quam fixitatis, & poſterior fere magis quam prior, & frequentius adſit in ſanis illis ob moderatum æqualemque ſatis calorem ipſorum ſanguini familiarem. In cholericis plurima dominabitur terra pinguis ignifera cum alcalina volatili, vitreſcibilis & mercurialis aderit circiter ſufficiens, minimum vero aderit tartareæ. Melancholica cor-

corpora occupabit terra copioſa vitreſcibilis & alcalina fixa gelatinoſa, modicum tartareæ & igniferæ pinguioris, parum volatilis alcalicæ & mercurialis. Phlegmaticis abundans inerit terra tartareo-aquoſa, & modica viſcido-mercurialis mucilagine merſa, parca vitreſcibilis, ignifera, & alcalica quævis ſeroſiori ſuo in ſanguine.

§. LXV.

In ſolido tandem corpore univerſo ſenſibilitas, irritabilitas, elaſticitas quoad temperamenta notandæ. Senſibilitas, irritabilitas, elaſticitas, maximæ, vividiſſimæ nempe & validiſſimæ in cholericis, minimæ vero, torpidiſſimæ & debiliſſimæ in phlegmaticis, in melancholicis porro minimum ſenſibilitatis cum irritabilitate & elaſticitate robuſta, ſed torpida, ac in ſanguineis denique ſenſibilitas plurima cum irritabilitate & elaſticitate vivida quidem modice, ſed minus robuſta, laxiori ſcilicet

facile

facile laſſabili. De irritabilitate notandum hic ſolummodo, quod nimia laxitas vel expanſio æque fere minuat irritabilitatem quam nimia rigiditas vel ſtrictura. In conſiſtentia irritabilis gelatinæ plus propendente ad laxitatem quam ad rigiditatem, vivida quidem eſſe poteſt vis irritabilis, ſed debilis ſimul. Atque in conſiſtentia gelatinæ illius inclinante ad rigiditatem vis irritabilis eſt robuſta quidem, fortitudinis nempe magnæ durabilis, ſed quo plus graviori accedit rigiditati, tanto minor velocitas facilitasque ſeu vividitas eſſe in irritabilitate poteſt, id quod ad clarius percipiendum ſenſum priorum monere ſufficit.

§. LXVI.

Neutiquam plurimum difficultatis, credo, habet, videre, quod tam a priori plures indicatis ſint poſſibiles principiorum & qualitatum in fluidis & ſolidis corporis humani proportiones inſignes & capitales, tem-

temperamenta constituentes, quam quod a posteriori in infinita varietate constitutionum corporis naturalium haud nimis raro reperiantur tales, quæ vel minus commode vel nulla plane ratione ad unum ex quatuor illis vulgo dictis temperamentis revocari queant. Cum quodvis horum quatuor communius occurrentium prædominium fere nimium alicujus principii qualitatisve in fluidis ac solidis pro fundamento habeat, prope justius inde quodcunque ipsorum nuncuparetur intemperies sive intemperamentum. Ipsa illa præ reliquis longe magis spectata, dilecta, celebrata vulgo temperamenta, sanguineum & cholericum, frequentius & facilius multo reliquis in morbos incidere varios, nec leves eos, observantur, fortasse ob excessus magis familiares gravesque intemperantiæ moralis & physicæ, ubi ex adverso exosa illa despectaque temperamenta, melancholicum & phlegmaticum, tranquillo plerumque, du-

rabili

rabili ac ſecuro ſatis fruantur vitæ ſanæ decurſu. Sic nempe illud, quod vulgo vitioſum in conſtitutione naturali putant appellantque, ſi nutritioni nec obſtat ſufficienti, nec motus turbat vitales, nec functiones animales, illud, inquam, certe adeo in corpore vel maxime phlegmatico aut melancholico vitium verum non eſt, quanquam tale ſit fortaſſe reſpectu alio, ſanguinei vel cholerici in ſtatu. Unumquodque potius ſic dictum temperamentum, ſi modo vera accedit temperantia & moderatio hominis integri, peculiari ſua ratione ſanitati utique inſervit conſtituendæ ſervandæque ſatis bene, teſte experientia ſobria. Cauſa hujus rei eſt primaria, quod fluida uniuscujusque temperamenti ſolidis ejuſdem maxime congruant naturaliter, ad vigorem functionum proportionatum præſtandum, ac ſtatus talis juſte harmonicus fluidorum & ſolidorum creet ſanitatem ipſam conſervetque facillime. Quapropter & tractatio ad-

 verſa

versa temperamento cuique tantum non semper infesta reperitur. Unum tamen præ altero sanitatem magis stabilit robustam ac diuturnam, & longævorum temperamenta certe bona & solidissima debent esse, quæ sane observationem mererentur solertiorem penetrantioremque, ubi facultas datur hæc talia inspiciendi propius, uti & illa hominum animi & ingenii præ cæteris insigniter majoris & sedatioris simul, spectacula quidem non nimis utique ordinaria, sed præ aliis universis facile utilissima, imprimis quoniam apud posteriores homines, quantum valeat in corpus animæ imperium præstans, nequaquam adeo parum nec tam raro quam inter reliquos spectare datur mortales. Voluminis sane majoris opus esset, indagando perambulare, quoad ejus fieri potest, omnem varietatis possibilis temperamentorum ambitum; verumtamen unum alterumve extantius, ne nihil plane dixisse videamur, adumbratum quodammodo adjiciamus.

§. LXVII.

§. LXVII.

Corpus vegetum, ubi omnia ſunt mediocria, tam robur elaſticum quam irritabilitas, hæc ultima vero ſimul valde exacta & delicata, ut æque moderate ac ſubtiliter omnia continuo procedant, hoc, niſi me fallunt omnia, indigitat temperamentum nec ſanguineum, quia deeſt præcellens ſenſualitas, laxitas & levitas, nec cholericum, quia non dominatur vividitas omnium acris & præclare robuſta, nec melancholicum, quia ſenſus & robur torpida non prægravantur terra, nec phlegmaticum, quippe longe ſatis abſente inertia aquea univerſa. Ergo ſane peculiare prorſus eſt hoc temperamentum, tam vere temperatum; ſed quia, ut evidens eſt, & experientia docet, non multum negotii facit medicis, nec magnum culinæ fert incrementum, nec turbat politicos, nec concitat laſſatve theologos, ideo forſan oculos univerſorum iſtorum eruditorum fugit, vel ſaltem haud eximia figere in

ſe valet attentione. Talia vere non niſi ſpectatori patent omnium valde pythagorice muto, impartialiſſimo, ſapere ſimpliciter & liberrime naturam ſequi audenti. Sed quid nominis genuino hoc temperamento imponemus? Pulchrum omnino meretur, quia longe magis quam cuncta quatuor illa vulgaria videtur ad rem optimam, ad ſapientiam practicam ſanam, eſſe compoſitum & commodiſſimum, propria quippe & plane familiaris ipſi moderatio animi, ingenii, judiciique cum integritate, ſolertia, fortitudine modeſta, perſpicaciaque naturaliter ſana, directe, placide, ac delicate recta & bona ſufficientia tutaque ſeligenti, voluntate facile modicis & paucioribus contenta. Hocce mediocritatis firmæ, vere aureæ, temperamentum, cum optime rebuspublicis conveniat conſervandis, nonne merito republicanum bene audiret? vel, ut diſtinctius paulo notetur, cum ad veram vivendi rationem Socraticam aptitudine, facilitate,

in-

inclinatione feratur proxima, nonne optime, quæso, Socraticum? Sed multis forte jam nauseam movet medicis aliisque insulsum hoc pro iis temperamentum. Taceamus.

§. LXVIII.

Aliud adhuc potius apponamus haud minus memorabile, sed subtiliori inspectione & sollicita magis cura dignum. Cum insigni solidorum teneritudine junctum robur elasticum & grave eximium, irritabilitas modice valida, promta satis, constans & lenis simul, multo magis quam vivida, sensibilitas subtilis, profunda intime, ac lenissime vivida, motuum, functionum, successus ordinarius placidus & libere graviterque constans non minus quam insigniter promtus, vegetus & subtilis, hæc omnia ita juncta temperamentum indicant heroicum non minus quam tenerum valde & graviter placidum, quod manifeste cum nullo quatuor illorum vulgarium coincidit,

ad Socraticum quidem accedere magis videtur, ſed ab eo valde diſtinguitur tam robore quam gravitate præcellente, & viva illa lenique teneritudine inſigniori. Animus huic nobili temperamento adeſt a teneris & in florida juventute jam penitus firmus, gravis, ſerenus, tranquillus, liberrimus, ſublimis, circumſpectus, graviter lenis ac tener, ſtrenue ſolers & invincibilis, judicium tam libere promteque penetrans quam eximie profundum, exactum, & ſedatum, ingenium perquam ſubtile, promtum, grave, leniter ironicum, laconici amans ſermonis modique vivendi. Nullum omnino temperamentum gubernationi hominum ſapienter forti, gravi placidæque adminiſtrandæ natum aptius, evidenter plane & philoſophice regium, phlegmate & robore fere ſtoico, gravitate, ſublimitate, ac lenitate pythagorica vel antiqua illa Romana Majeſtatis conſularis, cujus auguſtæ liberaliſque indolis non alia gens inter ho-

diernas

diernas plura nobilioraque dat ſpecimina quam Britannica, licet nec ea in reliquis plane deſint gentibus, magis præſertim Angliæ affinibus vel unde hæc ipſam traxit originem ſuam, ut illuſtris eſt noſtra Germania, cujus longe optima quæque, quamvis perrara hæc jam progenies nativo tali eminentiſſimo temperamento genioque auguſto, regie philoſophico, præclare ſe prodit. Imo &, quod mirandum, in ipſa teneritudine ſumma ſexus ſequioris dantur ſubjecta, longe vero rariſſima, ſpiritus ſereni firmiſſimi, profunde penitus judicioſi, animi vigoriſque laconici, & majeſtatis ſimul manſuetudiniſque Romanæ ſibi ſemper conſtantis, cum promtitudine ingenii penetrantiſſima. An rariori etiam huic & nobiliſſimæ omnium temperiei phyſico-morali nomen inſcribendum? Non ſuccurrit jam ſatis aptum, niſi placeat iterum a nomine proprio; exemplo illuſtri, eam inſignire, ac digniſſime quidem ab Antonino Philoſo-

pho Imperatore Antoninianam. Prope vocaſſem etiam Hallerianam, niſi obſtitiſſet paulo genus magis irritabile vatum. Hoc gravius eſt ſubjungendum, eminentem hanc conſtitutionem propter teneritudinem ſuam æque ac intenſiorem ſubinde activitatem mentis & corporis valetudine non nimis raro vacillare tenui, imo & adverſa valde varia affici, licet abſente malo per ſe pertinaci, & habiliter ſatis tractatum ad mire promtam ſæpius & durabilem facile reſtitutionem ſit aptum hoc temperamentum, longævitate & ſanitate omnimoda digniſſimum.

§. LXIX.

Reſpiciamus jam pauliſper & uno quaſi intuitu, priusquam ad conſpectum morborum deveniendum, quæ fundamenta poſuerimus tractationis hactenus noſtræ præcipua. Quorum primum erat §. II-IV. quod ſanitatis ſit robur alacre virium corporis ad

omnes

omnes fuas functiones obeundas, 2) §. V. quod vigor hic pendeat a libero liquorum æqualique circulo, 3) §. VI-IX. quod circulus hic a viribus folidorum noftrorum ubique activis libere & vegete, 4) §. X-XIV. quod vires iftæ cum folidis ipfis ex fluidis nafcantur, fuftentetur, motumque accipiant, & mutationes inteftinas omnes, 5) §. XV. quod motus folidorum excitatus fluida rurfus femper promoveat, & 6) ad mutuum hunc motum & vigorem inprimis folidorum fervandum quantitas, qualitas & fecretio requiratur fluidorum jufta, 7) §. XVI. quod ad priora cuncta fuftentanda fit neceffaria refpiratio, nutritio & excretio debita, motio quoque & quies congrua, 8) XVII-XXII. quod ad exfequenda ifta requiratur vita, anima vivificans & corpore ceu organo utens confervando per actiones animales, 9) §. XXIII. quod tam fanitas mentis quam rectum regimen corporis ad hujus fanitatem fint requifita neceffaria &

 uti-

utilissima, 10) §. XXIV. quod regimen corporis per motus voluntarios rectos exerceatur, 11) §. XXV. quod hi motus ab impulsu fluidi nervei per animam oriantur, 12) §. XXVI. quod & alii motus pathetici a fluido nerveo per animum commoto, 13) §. XXVII. quod a sanitate mentis promotio fluidi nervei ordinata & vegeta, 14) §. XXVIII. quod itidem ab actione animæ vivifica liberæ secretionis fluidi nervei promotio ad influxum vitalem, 15) §. XXIX. quod corporis perceptibilis mutatio sensationem animæ, sensatio motum in corpore proxime excitet, 16) §. XXX. quod hinc ad motus internos sanos præstandos status sensationum moderate gratus & vegetus proxime faciat, 17) §. XXXI. quod ad hunc statum obtinendum & servandum Hygiene naturalis exerceatur, 18) §. XXXII. quod fluidum nerveum, sensationum & motuum animæ instrumentum, motu, quantitate & qualitate con-

convenientibus inſtructum eſſe debeat, 19) quod varium fluidum nerveum in variis corporis conſtitutionibus, 20) §. XXXIII. quod hæc varietas in quatuor vulgaribus temperamentis, diverſitate quoque ætatis & ſexus, obtineat, 21) §. XXXIV. quod etiam ab actione mentis ſolius varietur fluidum nerveum, 22) §. XXXV. quod idem varium ex ortu a vario ſanguine, 23) §. XXXVI - XXXVIII. quod ſanguinis, liquoris præcipui & omnia continentis, qualitates variæ a varia proportione & mixtione principiorum conſtitutivorum, 24) §. XXXIX - XLV. principii ætherei & ſulphurei ſeu viſcidi differentia naturalis eminens eruitur, 25) §. XLVI. principii ætherei activitas peculiaris in corpore præſertim humano denotatur, 26) §. XLVII. quod æther lucidus ſit veriſimiliter materia fluidi nervei, ab igneo propulſa principio, 27) §. XLVIII. principii ætherei relatio indicatur ad tempe-

ramenta

ramenta, 28) §. XLIX. principii ætherei ſimplicis ab igneo differentia, & hujus natura & origo ſingularis medio irritabilitatis elementaris; 29) §. L. igneæ materiæ relatio particularis ad temperamentum cholericum & fortitudinem ſanam mentis & corporis, 30) §. LI. elementi aërei relatio ad temperamenta & ſanitatem, 31) §. LII. LIII. principii viſcidi varietas in forma, & triplex in corpore ſpecies, 32) §. LIV. LV. LVI. natura & functio oleoſitatis, gelatinoſitatis, mucoſitatis, 33) §. LVII. viſcidi elementi habitus ad temperamenta, 34) §. LVIII. ſalini principii ſpecies in corpore & habitus ad temperamenta, 35) §. LIX. aquei ad temperamenta relatio, 36) §. LX. terrei principii natura, vires & ſpecies, 37) §. LXI. terræ vitreſcibilis inquiſitio fundamentalis, 38) §. LXII. terræ mercurialis ſubtilior inquiſitio, 39) §. LXIII. terræ vitreſcibilis & mercurialis præſentia & uſus in ſanguine, 40) §. LXIV.

ter-

terrarum varia relatio ad temperamenta, 41) §. LXV. ſolidorum corporis humani ſenſibilitas, irritabilitas, elaſticitas relatæ ad temperamenta, 42) §. LXVI. quod plura dentur quam quatuor vulgaria temperamenta, & monita quædam de iis, 43) §. LXVII. detectio temperamenti Socratici ſeu moderati republicani, diverſi a quatuor illis vulgaribus, 44) §. LXVIII. detectio temperamenti Antoniniani ſeu regio-philoſophici a quatuor vulgaribus & Socratico ipſo diverſi.

§. LXX.

Et generaliſſime quidem ad ſanitatem bene ſtatuendam ſervandamque primum illud nobis illuxit decantatiſſimum requiſitum neceſſarium, circulus humorum juſtus. Ad hunc vero proxime, canalium & ſolidorum reliquorum omnium vigor integer & ubivis libere activus. Ac porro, iſti ſervando firme vigori, quantitas, qualitas, & ſecretio flui-

fluidorum aptiſſima. Rectæ tamen iſtorum ac priorum omnium conſervationi neceſſario ſuccurrens bona reſpiratio, nutritio, excretio, motio & quies, ſeu diæta corporis naturalis. Denique pro actionum reciproce concitantium inter animam corpusque commercio, ceu vigoris motuum fonte, juſto & vivido ſervando, ſanitas mentis, alacritas ſerena, & procuratus recto regimine ſtatus bonarum ſenſationum, moderate gratarum & vegetarum. His dictis generalis obſervatio cauſarum ſanitatis abſolvitur.

§. LXXI.

Specialior eſt ad ſanitatem tuendam, ſed inter ſpeciales primaria & fundamentalis, obſervatio moderationis temperamenti, ætatis & ſexus cujusque, ac demum ſecundaria poſtremaque attentio ad uſum inſtrumentalem exteriorum accidentalium ſanitatis adminiculorum, ut ſunt temperies

clima-

climatis, tempeſtatis, habitationis, apta ratio generis vitæ, veſtitus, decubitus. Hiſce vero auxiliis nonnunquam vel mixta tolerabiliter ſunt, vel & modo velocius, modo tardius præpoderant ac intolerabilia evadunt impedimenta ſanitatis, in externis iiſdem varie latentia. Cum tractatio noſtra ſuccincte ſolum eſſentialia percurrat inſigniora viſa, morari haud locus eſt in aſpectu accidentalium iſtorum.

§. LXXII.

Debilitatio vel moleſtatio, functionem aliquam virium corporis animalis lædens, impediens, turbans, tollens, eſt morbus.

§. LXXIII.

Si nulla re, nullo tempore, vires corporis poſſent debilitari, ne moleſtia quidem ſentiretur unquam, nedum morbus eſſet poſſibilis. Si ad minimum moleſtiæ omnes

facile

facile ſuperari ſemper poſſent, etiam tunc nec ullus morboſus ingrueret unquam affe-ctus. Si nec unquam vires corporis intendi vel irritari poſſent ultra quam modice ferrent, tunc utique nuſquam moleſtus oriretur ullus debilitansque exceſſus, in morbum abiens. Poſſibilitas adeo morbi ſita eſt in virium noſtrarum inſufficientia ad ſuperandas, avertendas, evitandas debilitationes & moleſtias omnes. Adde vires naturæ ſufficientes, jam declinabis, ſubjicies impedimenta omnia. Quid, niſi hoc ipſum quantum permittit natura rerum, intendit efficit medicina?

§. LXXIV.

Si vires corporis uſque ad læſionem functionis ſuæ alicujus naturalis, animalis, vitalis debilitantur vel moleſtantur, deficit alicubi libertas circuli humorum impedita, æqualitas turbata, vigor repreſſus, remiſſus, ablatus. Tum vero & deficiunt ſoli-

dorum

dorum depreſſæ, remiſſæ, languidæ vires aliquæ vel ſubinde fere omnes, deficit, ad firme ſuſtentanda iſta, fluidorum juſta ſecretio, vel excedit debilitans, alicui ſurripiens vel omni corporis parti vires neceſſarias vel utiles. Progreſſione ac ſecretione humorum turbata quantitas eorum vel accumulatur & exundat moleſtius, vel diſſipatur aut effunditur ad inſignem virium labefactationem. Eadem læſa humorum progreſſione ac ſecretione non poteſt non alterata eſſe aliquatenus vel penitus qualitas eorum, vel enim evoluta intenditur, vel implicata ſtringitur aut deprimitur, vel relaxatur ſolviturque, vel confunditur, vel perditur. Commercium denique actionum animæ & corporis per mediationem fluidi nervei vel debilitatur, vel ægre & per quam moleſtum fit, vel plane doloroſum, & fere intolerabile, vel turbulentum, vel etiam interrumpitur quodammodo & ſuſpenditur. Ex his univerſis apparet, maxime in mor-

bis affici fluida; internis nempe in morbis id plurimum & evidentius obtinet, de quibus ſolis in hacce tractatione nobis obverſatur quæſtio.

§. LXXV.

Morbi interni, a cauſa interna proxima, vel ſolida infeſtare præcipue videntur vel fluida, unde vel ſolidorum vel fluidorum audiunt morbi. Morbi ſolidorum interni num non niſi a labe ſolidorum ceu propria pendent cauſa? Num labes ulla ſolidorum interna poteſt abſque morboſo prius ac lædente oriri fluido? Nonne omnis a fluidis ſuſtentatur & modificatur ſolidorum interna conſtitutio in mutationibus ſuis omnibus? Etenim ex fluido ſolidum omne vel concreſcit, vel augetur, vel minuitur, vel qualitate ab ipſo imbuitur principii peculiaris, vel motu afficitur vario, determinaturque ad varias formas, earumque affectiones, expanſiones, anguſtationes, con-

nexio-

nexiones, mobilitatem, rigiditatem, mollitiem, diſſolutionem, torporem. Verbo denique, omnis mutatio interna ſolidi a fluido, ideoque omnis morbus ſolidorum internus a morbo pendet fluidi. Itaque de morbis agentes internis nonniſi morbos fluidorum ſpectabimus ceu proprie internos, cauſales eo ipſo genuinos proximos, internæ cujusvis ſolidorum depravationis.

§. LXXVI.

Fluidorum ergo morbi quales quantique ſint, ex cauſis eorum producentibus facile ac bene ſatis poteſt elucefcere. Cauſæ iſtæ generaliter ex poſſibilitate, in qua re peccare poſſint fluida, evolvuntur. Peccare autem originaliter poſſunt vel motu, vel quantitate vel qualitate. Nihil ultra poteſt de iis cogitari peccantibus primitive. Itaque nec dantur plures cauſæ primæ morborum in fluidis generales quam vel I. motus peccans, vel II. quantitas vitioſa, vel III.

 qua-

qualitas prava, vel IV. concurſus unius alteriusve aut omnium priorum.

§. LXXVII.

Motus fluidorum peccat vel exceſſu vel defectu, vel inordinatione directionis quantitas vel exceſſu vel defectu. Qualitas vel intenſiori, ampliorive, quam juſtum eſt, prædominio vel defecta proprietatis alicujus peculiaris, principii nempe cujusdam conſtitutivi, proprietatem eam producentis, & mixtionis vel laxioris vel arctioris principiorum. In concurſu denique cauſarum tam unaquæque ſeorſim notanda, quam omnes conjunctim & pro ſua inter ſemet invicem proportione & agendi ratione ſpectandæ, quid omni hoc conficiant reſpectu.

§. LXXVIII.

Fluida præcipua ſeu primariæ activitatis in corpore humano ſunt ſanguis, fluidum nerveum, lympha, bilis. Quodvis horum pec-

peccare poteſt & in morbis ſolet, vel motu excedente, vel deficiente, vel inordinato, quantitate itidem vel excedente vel deficiente, ac tandem qualitate aliqua vel juſto magis prædominante, vel plus juſto depreſſa, vel junctis quibusdam vitiorum iſtorum ſimul.

§. LXXIX.

Cauſæ morborum in peccante fluidorum motu ſeſe exhibentes primo nobis ponuntur loco, quoniam morbi tam quantitatis quam qualitatis fluidorum a motu iſtorum illegitimo ſæpiſſime, ſi non unice oriuntur. Quis enim, quæſo, neſcit, motu fluidorum remiſſiori per otium cum victu pleno Plethoram creari? motu nimio fluida, diſſipari? & motu aliquo inordinato æque ac vel nimio vel torpido qualitatem fluidi emergere hanc vel illam vitioſe prædominantem, vel involvi, ſupprimi, extenuari neceſſariam bonamque aliquam gradu vario? — Sed

 quid

quid causæ habent motus excedentes, deficientes, inordinati? Recti enim motus sibi relicti, a se ipsis non excedunt, deficiunt, in turbam ruunt. Motus fluidorum excedentes prægreditur communis vel nimia canalium irritatio a quantitate vel qualitate fluidi alicujus excedente, vel relaxatio nimia solutioque solidorum mox a defectu, mox ab excessu quantitatis vel qualitatis alicujus fluidi. Ast neque quantitas neque qualitas fluidi unquam sine motu aut nisu vivo agit vel efficit quicquam, imo sine motu & nisu restaret iners, cum actu vero notorio enitente omnem suam exserit applicatque vim activitatemque, ex. gr. nimia quantitas fluidi gravando, distendendo, premendo, pellendo, rumpendo &c. Motus autem nisusque cum quantitate vel qualitate inseparabiliter agens est semper, ut dictum, vel nimius, vel torpidus, vel male directus quantitatis qualitatisve comes vim exserens. Sic divelli nunquam pos-

poſſunt cauſæ iſtæ, quantitas, qualitas, motus vel niſus agens. Quid igitur quantitatem vel qualitatem in motum agit peccantem? Quid niſi alia ſimilisve quantitas vel qualitas male admiſſa, ingeſta, adaucta, excitata, diminuta, depreſſa, regimine animæ aut utriusque vel remiſſo vel intenſo vel ſiniſtre applicato, aut e contra neceſſitate quadam plane inevitabili vel intrinſecus vel extrinſecus agente vel utraque?

§. LXXX.

Notandum hic non minus, quod quantitas vel qualitas illa commota, quæ morbum actuat immediate, ſit cauſa morbi genuina completa, ſeu, ut vulgo dicunt, proxima, quia plene & proxime morbum ſiſtit actualem. Cauſa iſthæc plenaria merito ſane diſtinguitur ab incompletis cauſis ad morbum ſolummodo diſponentibus, nec immediate morbum exhibentibus, ideoque re-

motis appellatis, quæ vel agentia ſunt neceſſaria extrinſecus aut intrinſecus, vel ab errore aut defectu regiminis eveniunt, & conjunctim denique proximam ſive plenariam excitant cauſam morbi, inclinando & promovendo diſpoſitionem pravam ad actum morbidum primum, qui principium morbi eſt immediatum & perfectum, quo ſublato tollitur omnino & morbus. Et cum, ut ſuperius allatum, omnis mutatio corporis, fluidorum imprimis, fiat motu quantitatem & qualitatem aliquam applicante, ideo actus etiam morbidus primus, primarius, morbum per ſe immediate pleneque actuans, non poteſt non eſſe motus aliquis primario peccans quantitatis qualitatisque fluidi cujusdam noſtri. Morborum ergo cauſas primas plenasque immediatas non immerito in motibus fluidorum vitioſis ponimus, quantitatem & qualitatem liquidorum minus recte applicantibus vel mutantibus. Sed cum minus commode motus, quantitas &

qua-

qualitas ſimul ſpectetur, ſeorſim primo notemus, morbos a motu, deinde a quantitate, poſtremo a qualitate fluidorum peccante. In fine ſic clarius erit conſpiciendum, uti conveniunt coinciduntqun morbi motuum, quantitatum & qualitatum in humoribus obverſantium.

§. LXXXI.

Morbi ab exceſſu motus ſanguinis ſunt febres, inprimis acutæ, hæmorrhagiæ pleræque, apoplexia ſanguinea, catarrhus ſuffocativus ſanguineus, palpitatio cordis. Familiares magis hi morbi temperamento inprimis cholerico, deinde etiam ſanguineo.

§. LXXXII.

Morbi a defectu motus ſanguinis ſunt morbi antiquis dicti frigidi, lymphales, hæmorrhagiæ & febres ſuppreſſæ, lipothymiæ, obſtructiones & infarctus viſcerum,

malum hypochondriacum. Morbi iſti frequentius phlegmaticum & melancholicum infeſtant temperamentum.

§. LXXXIII.

Morbi ab inordinato motu ſanguinis ſunt congeſtiones orgaſticæ, ſpaſtico-dolorificæ inflammatoriæ, ſanguinis ad cutem, caput, fauces, pectus, abdomen, viſcera, artus. Temperamento ſanguineo & cholerico iſti moleſtius irruunt morbi.

§. LXXXIV.

Morbi ab exceſſu motus fluidi nervei ſunt tremores corporis, ejusdem univerſi convulſiones, epilepſia, malum hyſtericum. Sanguinei, cholerici, infantes vividiores, feminæ ſimiles hiſce morbis ſæpius corripiuntur.

§. LXXXV.

§. LXXXV.

Morbi a defectu motus fluidi nervei funt fyncope, lethargus, paralyfis, apoplexia ferofa, rhachitis, ftupor animi, læfio memoriæ. Phlegmatici, melancholici debiliores, infantes languidiores. Senes his magis obnoxii reperiuntur morbis.

§. LXXXVI.

Morbi ab inordinatione motus fluidi nervei funt vertigines, deliria, convulfiones particulares, congeftionum particularium impetus dolorifici. Cholericis & fanguineis communiores funt iftæ affictiones.

§. LXXXVII.

Morbi ab exceffu motus lymphæ funt catarrhi humorofi, rheumatifmi ferofi, falivationes & fudores colliquantes, diarrheæ, diabetes, fcorbutus, lues venerea, arthridis vaga, fcabies, tuffes. Sanguinea & pfleg-

phlegmatica corpora hi morbi magis obruunt.

§. LXXXVIII.

Morbi a defectu motus lymphæ ſunt ſtaſes lymphales, aſthmata, cachexia, hydrops, malum iſchiadicum, calculi, fabes. Phlegmaticos & melancholicos hi morbi ſæpius affligunt.

§. LXXXIX.

Morbi ab inordinato motu lymphæ ſunt iidem fere omnes, qui tam ab exceſſu quam a defectu motus lymphæ.

§. XC.

Morbi ab exceſſu motus bilis ſunt cardialgiæ, ſoda, tormina æſtuoſa, dolores iliaci, colici, diarrhœæ bilioſæ, dyſenteriæ, febres bilioſæ, cholera. Temperamenti præcipue cholerici ſunt morbi hi proprii.

§. XCI.

Morbi a defectu motus bilis ſunt anorexia, cruditates acidæ & nidoroſæ, flatulentica præſertim hypochondriaca, obſtructiones hypochondriacæ & meſaraicæ, atrophie, vermes, paſſio cœliaca, tympanites. Phlegmaticis & melancholicis præſertim corporibus iſti ingruſtnt morbi.

§. XCII.

Morbi ab inordinato motu bilis ſunt iidem qui ab exceſſu motus bilis, itemque icteri.

§. XCIII.

Jam ad morbos devenimus quantitatis. Hos inter primum morbi ab exceſſu quantitatis ſanguinis ſunt plethora gravans & orgaſtica, & morbi frequentes ab exceſſu motus ſanguinis, ſubinde & bilis, ut ſæpius etiam ab inordinato motu congeſtorio ſanguinis.

§. XCIV.

Morbi a defectu quantitatis ſanguinis ſunt iidem fere qui a defectu motus ſanguinis & fluidi nervei, ſubinde & lymphæ.

§. XCV.

Morbi ab exceſſu quantitatis fluidi nervei ſunt iidem, qui ab exceſſu & inordinatione motus fluidi nervei.

§. XCVI.

Morbi a defectu quantitatis fluidi nervei ſunt iidem, qui a defectu motus fluidi nervei.

§. XCVII.

Morbi ab exceſſu quantitatis lymphæ ſunt morbi tam ab exceſſu & inordinatione quam a defectu motus lymphæ.

§. XCVIII.

Morbi a defectu quantitatis lymphæ ſunt morbi ab exceſſu & inordinatione motus ſanguinis & bilis.

§. XCIX.

Morbi ab exceſſu quantitatis bilis ſunt iidem, qui ab exceſſu motus ejusdem.

§. C.

Morbi a defectu quantitatis bilis iidem, qui a motus ejus defectu exiſtunt.

§. CI.

Conſiderationis graviſſimæ ſunt morbi qualitatum fluidorum, quippe qui ad origines morborum intimas nos quam proxime introducere & medendi iis modum maxime fundamentalem indicare valent. Morbi qualitatis fluidorum ſunt morbi vel proportionis principiorum conſtitutivorum in fluidis

dis elementarium, vel mixtionis eorundem. Etenim a ratione proportionis & mixtionis principiorum omnis pendet manifeste fluidi qualitas. Proportionis principiorum morbos primo jam annotare fas est, cum secundum proportionem mixtio ipsa qualificetur.

§. CII.

Morbi a prædominio particularum principii ætherei subtilissimarum & nobilissimarum, quæ spiritus animales seu fluidum nerveum constituunt, sunt iidem, qui ab excessu motus & quantitatis fluidi istius nervei.

§. CIII.

Morbi a prædominio particularum principii ætherei simpliciter calorificarum seu expansivo - fluidifico - volatilisantium sunt morbi vel subtiliter maxime dissolventes, colliquantes, putrefacientes, expellentes fluida nostra, uti præprimis febres putri-

dæ, exanthematicæ, ſeceſſus fluidorum colliquativi, vel ſunt morbi ſubtiliter relaxântes ſolida & eo ipſo inducentes motuum & fluiditatis humorum defectum, uti ſunt morbi a defectu motus fluidi nervei, denique morbi ſubtiliter agitando turbantes animæ ſedem, ſenſiones & actiones, ut vertigines, deliria levia latiora, hyſtericæ & hypochondriacæ animi fluxilitates raptusve variegati.

§. CIV.

Morbi a prædominio partium æthereo-ſalinarum ſeu ignearum ſunt morbi temperamenti inprimis cholerici, ab exceſſu & inordinatione motus ſanguinis & bilis, deliria inſuper furioſa, rabies canina, hydrophobia, convulſiones & epilepſiæ ab ira, &c.

§. CV.

Morbi a prædominio principii aërei ſubtilioris, calidioris, ſunt morbi a peculiari

quodam prædominio principii calorifici simplicis & ignei, quatenus expandente & inflante omnia quasi fermentative per æstum sanguinis orgastice veluti spumescentis, ad calidam usque putrescentiam proruentis, hinc exanthemata protrudentis pustulosa.

§. CVI.

Morbi a prædominio principii aërei crassioris, frigidioris, sunt morbi spissitudinis gravitatisque humorum vel frigidæ lymphaticæ & mucosæ vel calidæ, sed simul terrestris torpidæ, difficulter perspirabilis, inter quos manifestius conspiciuntur affectus vaporosi hypochondriaci, flatulenti, suffocativi, cruditates nidorosæ, tormina vel a frigore vel a tenaci bile acria, tympanites.

§. CVII.

Morbi a prædominio viſcidi ſimplicioris frigidi ſeu particularum viſcido-ſalino-aquearum ſunt fere omnes morbi lymphales, ſeroſi, mucoſi.

§. CVIII.

Morbi a prædominio partium viſcido-ignearum ſeu proprie phlogiſtarum, vulgo ſulphurearum, ſunt morbi maxime cholericorum, ab excedente & inordinato motu ſanguinis & bilis.

§. CIX.

Morbi a prædominio particularum halituoſo-pinguium ſive viſcido-ætherearum ſimpliciorum, blandiorum & ſubtiliſſimarum ſunt iidem, qui a prædominio principii ætherei ſimplicis calorifici.

§. CX.

Morbi a prædominio particularum ſubtilium phlogiſto- aërearum vel & volatiliorum viſcido-æthereo-aërearum ſunt iidem, qui a prædominio principii aërei ſubtilis calidioris.

§. CXI.

Morbi a prædominio partium viſcido-aërearum craſſiorum ſunt iidem, qui a prædominio principii aërei craſſioris.

§. CXII.

Morbi a prædominio principii ſalini aceſcentis crudioris ſunt catarrhi frigidi, diarrhœæ ſeroſæ & mucoſæ, ſcorbutus in phlegmaticis & melancholicis, cruditates acidæ. De efficacia ſulphureo-mercuriali penetrantiſſimi ſalis aceſcentis volatilis morbifici notantur infra dependentes morbi a terra arſenicali.

§. CXIII.

§. CXIII.

Morbi a prædominio principii ſalini alcaleſcentis volatilis & fixioris ſunt morbi temperamenti inprimis cholerici, arthritis etiam & phthiſis, ſcorbutus cholericorum, corruptiones lymphæ, muci, pinguedinis, ſanguinis, bilis ad putredinem vergentes, imo ruentes, ac tum demum ſalem vel terram ſalinam deliquidam erodentem, proximiorem naturæ arſenicali facile evolventes.

§. CXIV.

Morbi a prædominio principii ſalini ſalſi ſeu medii ſunt cacochymia ſeroſa, hydropes, tuſſes, ſcabies, ſcorbutus ſanguineorum.

§. CXV.

Morbi a prædominio principii aquei ſunt morbi temperamenti præcipue phlegmatici ſive lymphales fere omnes.

§. CXVI.

Morbi a prædominio terræ ſubtiliſſimæ viſcido-æthereæ ſeu gelatinoſo-mercurialis ſunt iidem, qui a prædominio principii ætherei ſimplicis, itemque lues venerea, phthiſis, hectica, ſcorbutus.

§. CXVII.

Morbi a prædominio terræ viſcido-igneæ ſeu phlogiſtæ ſunt iidem, qui a prædominio principii ignei & phlogiſti.

§. CXVIII.

Morbi a prædominio terræ tartareæ ſeu acidæ ſunt iidem cum morbis a prædominio principii ſalini acidi crudioris.

§. CXIX.

Morbi a prædominio terræ alcaleſcentis ſeu calcareæ ſunt præcipue arthritides, malum iſchiadicum, calculi calcarei.

§. CXX.

Morbi a prædominio terræ ſalſæ ſunt iidem cum illis, qui a prædominio ſalis medii.

§. CXXI.

Morbi a prædominio terræ ſalino- ſulphureo- mercurialis ſeu arſenicalis ſunt morbi phthiſici, hectici, ſcorbutici, venerei, hypochondriaci acriores, dyſenteriæ malignæ, febres putridæ malignæ, maniæ graves acerrimæ, exceſſus fluidi nervei inſolentiores.

§. CXXII.

Morbi a prædominio terræ vitreſcibilis ſive ſalino- glutinoſo - aqueæ graviſſimæ & ſolidiſſimæ ſunt morbi temperamento melancholico maxime proprii, præcipue melancholia, mania triſtis, palpitatio cordis anxia, vomitus cruentus, icterus niger, quartanæ, calculi ſabuloſi.

§. CXXIII.

Inverſam jam aſpicere tentemus proportionem principiorum, ac uti prædominio ipſorum excendenti vario vidimus ſubjectas morborum cohortes, ſic eas profluentes ex defectu principiorum nimio multiplici adducamus, certi quod *nullus detur omnino exceſſus, ubi non peccans ex altera parte regnet defectus inſignior.*

§. CXXIV.

Morbi a defectu potiori principii ætherei ſummi nervos perfluentis ſeu animales dictos ſpiritus conſtituentis ſunt iidem, qui a defectu motus & quantitatis fluidi nervei; & iidem quoque exſurgunt vel a prægreſſo ipſo prædominio principii alterius ætherei, calorifici ſimplicis, ſubtiliori ſolidorum relaxatione debilitante motum & exhalatione nimis libera perdente quantitatem fluidi illius animalis ſummi, vel exſurgunt a prædominio præcedente principii ignei, vehementius

mentius exagitando debilitante motum & dissipante quantitatem fluidi nervei, quod & fieri a nimia salis alcalescentis volatilis & terræ salino - mercurialis evolutione vivida potest, vel alio prorsus modo a prædominio principii aquei & viscidi frigidi, absorbente, immergente & inviscante sibi graviter magnam nimis subtilissimi etiam fluidi partem, ac torpore insigni suo motum ejus nimis retardante, minuente, denique suspendente, vel tandem a prædominio terræ vitrescibilis gravissime glutinosæ, eodem effectu, sed gradu ejus majori, quod prædominium aquæ, viscidi frigidi vel terræ vitrescibilis involvit sane defectum simul potiorem principii ætherei calorifici, vel ignei, excitantis alias & promoventis vivide satis fluidum nerveum.

§. CXXV.

Morbi a defectu potiori principii ætherei simplicioris calorifici sunt morbi a prædo-

minio aquæ, viſcidi frigidi, ſalis aceſcentis tartarei, & ſalſi nimis, ac terræ denique vitreſcibilis; ſed ipſe ille defectus oriri etiam poteſt ac ſolet a prægreſſo excedente prorſus prædominio ipſius illius principii calorifici vel & vehementioris ignei, ſalinique alcaleſcentis volatilis, aut etiam terræ arſenicalis, violentia ſua diſſipante adeo nimis particulas blandas æthereas ſimpliciores, ut præcedente dictum paragrapho.

§. CXXVI.

Morbi a defectu inſigniori principii ignei ſunt iidem fere, ſed majori gradu, qui a defectu potiori principii calorifici ſimplicis blandioris. Blandius enim hocce quando expellitur copioſe principium, comitatur fugam ejus mite ac tenue inprimis oleoſum, gelatinoſumque perſpirabile, cum involuto acidulo volatili ſubtili maxime temperante. His autem blandiſſimis ac temperantibus tenuioribus fugatis non poteſt non reſtare craſ-

craſſius, nec tam blandum amplius liquidum omne, æſtu agitatum, quod ipſo tum hoc æſtu magis adhuc inſpiſſatur. Inſpiſſatum hoc ſane materiæ igneæ vim multam continet, teſtante vehementiori jam ardore. Qui vero ſi conſumit ipſe magis magisque pabulum ſuum exagitatum, defervendo tandem relinquit longe craſſiores, tenaciores, graviores poſt ſe humores, quam erant ac eſſe poſſunt ſolo primum expulſo blandiori ac temperatiori principio ſimplici calorifico, ſuaviter ac tenerrime fluidifico & expanſivo. Ideoque neceſſe eſt graviores multo fieri morbos viſcidos vel frigidos jactura inſigni principii ignei fortioris quam fiunt fierique poſſunt amiſſione frequenti ac admodum notabili ſuavis illius ætheris ſimplicioris, blandiſſime expanſivi & rarefactivi, qui & ſubtiliſſimum volatile amat habere oleoſum domicilium vehiculumve balſamicum, principio e contra igneo graviora ſemper in viſcida ſe præcipitante

pitante ac perdente ſe tandem in terreis denſiſſimis.

§. CXXVII

Morbi a defectu potiori principii aërei ſubtilioris & calidioris ſunt, morbi a prædominio principii aërei craſſioris frigidioris, viſcidi ſimul & aquei gravioris crudiorisque, morbi videlicet ſpiſſitudinis humorum vel frigidæ, vel calidæ quidem ſed terreſtris ſimul, torpidæ, difficulter ſolubilis perſpirabilisque.

§. CXXVIII.

Morbi a defectu potiori principii aërei denſioris, gravioris, frigidioris, ſunt morbi a prædominio nimio principii aërei ſubtilis calidioris, æthereo & igneo conjuncti.

§. CXXIX.

Morbi a defectu potiori viſcidi frigidi, gelatinoſi & mucoſi, a nimio præſente prædomi-

dominio principii calorifici ſimplicis, & ignei.

§. CXXX.

Morbi a defectu inſigniori phlogiſti ſunt iidem qui a defectu potiori principii ignei, & prædominio viſcidi & aquæ frigidioris.

§. CXXXI.

Morbi a defectu potiori particularum halituoſarum viſcido-ætherearum ſunt iidem, qui a defectu majori principii ætherei calorifici, & prædominio viſcidi & aquæ crudioris, gravioris.

§. CXXXII.

Morbi a defectu potiori particularum viſcido-æthereo-aërearum vel phlogiſto-aërearum ſubtilium iidem, qui a potiori principii aërei ſubtilioris & calidioris defectu.

§. CXXXIII.

§. CXXXIII.

Morbi a majori defectu particularum viscido - aërearum frigidiorum iidem, qui a defectu principii aërei frigidioris & prædominio subtilis calidioris insigniori.

§. CXXXIV.

Morbi a defectu principii salini acescentis sunt morbi a prædominio principii salini alcalescentis.

§. CXXXV.

Morbi a nimio defectu salis alcalescentis sunt morbi a prædominio salis acescentis.

§. CXXXVI.

Morbi a defectu potiori principii salini salsi seu medii sunt morbi a defectu insigniori vel salis acescentis vel alcalescentis.

§. CXXXVII.

Morbi a defectu majori principii aquei ſunt morbi a defectu viſcidi frigidi & prædominio principii ignei.

§. CXXXVIII.

Morbi a potiori terræ mercurialis defectu ſunt morbi a majori defectu principii ætherei ſimplicioris calorifici.

§. CXXXIX.

Morbi a defectu potiori terræ phlogiſtæ iidem, qui a potiori defectu principii ignei & prædominio viſcidi & aquei frigidi.

§. CXL.

Morbi a defectu majori terræ tartareæ ſunt iidem, qui a defectu ſalis acidi crudioris & prædominio vel terræ ſalſæ vel alcaleſcentis.

§. CXLI.

Morbi a defectu terræ calcareæ potiori ſunt morbi a prædominio tartareæ.

§. CXLII.

Morbi a defectu majori terræ ſalſæ ſunt iidem, qui a defectu ſalis medii.

§. CXLIII.

Morbi a defectu potiori terræ ſalino-mercurialis penetrantiſſimæ ſolutoriæ ſunt morbi a defectu principii ætherei ſimplicis & ignei, acidique ſimul ſubtiliſſimi volatilis contemperantis, prædominioque viſcidi, aërei & aquei crudioris.

§. CXLIV.

Morbi a defectu potiori terræ vitreſcibilis ſunt morbi a prædominio principii ætherei ſimplicis calorifici, ignei, & aërei calidi ſubtilioris.

§. CXLV.

§. CXLV.

Haud longi nunc erimus in recenſione morborum mixtionis vel juſto laxioris vel nimis arctæ principiorum in fluidis, cum facile ex prioribus deducantur, ſummatim tantum præmiſſa nota, mixtionem laxiorem alicujus principii ſubtilioris non terrei cum reliquis, eſſe ordinario prædominium ejusdem principii magis evolutum, mixtionem vero ſtrictiorem deberi terræ & viſcido præprimis tenaciori, involventibus vel infigentibus ſibi magis vel minus principia reliqua, ſic ut mixtio principiorum arctior communiter & naturaliter ſiſtat viſcidi gravioris & terræ præcipue vitreſcibilis prædominium eminens.

§. CXLVI.

Videndum jam, quomodo cum morbis qualitatum coincidant morbi motuum & quantitatum noſtrorum fluidorum. Et primo

mo quidem nullum erit dubium, quin excessus omnes motus & quantitatis sanguinis & bilis una cum inordinato utriusque motu debeantur excedenti prædominio universali principii calorifici, ignei, phlogisti, aërei subtilis calidioris, salis alcalescentis volatilis, terræ arsenicalis cum phlogista junctæ.

§. CXLVII.

Morbi ab excedente & inordinato motu nimiaque quantitate fluidi nervei a prædominio ætheris fluidum hocce constituentis eminentissimi derivantur; sed cum hoc fluidum turbetur, ac nimium commoveatur excedente æthere calorifico, principio igneo, aëre subtili æstuante, sale alcali volatili, acido volatili, ac terra arsenicali, justum est omnino, horum excessui principiorum emergenti attribuere violentos illos ac turbidos fluidi nervei excessus omnes.

§. CXLVIII.

Itaque, ſi modo excipias temperans ſubinde acidum volatile, eorundem plane principiorum prædominium producit univerſos motuum, turbarum, quantitatis exceſſus morbidos in fluido nerveo non minus quam ſanguine & bile.

§. CXLIX.

Defectus motus quantitatis ſanguinis duplicem morborum ſiſtit formam; vel enim cum hoc defectu, ut fit plerumque, ſeſe jungit major lymphæ vel muci copia, eaque vel motu irritante ſe diffundens vel languore ſubſiſtens, aut e contrario major terræ & viſcidi terreſtris craſſi moles infarcit, angit, obruit, obdurat partes langui-do ſanguinis motu ægras. Prior copia morbos lymphales, poſterior melancholicos & obſtructorios generat. Claſſi priori viſcidum mucido-gelatinoſum, aqua, ſal aci-

dum, ſalſum, tartareum, denique in corruptione profundiori acrius evolutum arſenicale, dominatur; claſſi poſteriori viſcidum terreum ſiccius, glutinoſum, terra vitreſcibilis, calcaria, tartarea, cum arſenicali ſubinde gravius juncta.

§. CL.

Defectus motus & quantitatis bilis ſimilem gignit duplicem morborum in hypochondriis & abdomine ſpeciem, vel mucoſorum ſcilicet vel terreſtrium. Utrisque tamen addit frequenter flatuoſos inſuper frigidos. Itaque ultra prædominium vel aquæ & viſcidi ſalisque frigidioris vel terræ gravioris, vitreſcibilis, calcareæ, tartareæ, atque arſenicalis, etiam hic ſimul conſpicitur prædominium evoluti aëris craſſioris, gravioris, frigidioris, hypochondriacis magis familiare.

§. CLI.

Defectus motus & quantitatis fluidi nervei triplicem iterum originum ſuarum faciem exhibet, vel enim eſt a plethorica & fervida ſanguinis intemperie diſſipante ac debilitante, vel a cacochymia ſeroſa, pituitoſa, vel ſpiſſitudine terreſtri, gravi, melancholica. Hinc prædominium manifeſtum vel principii ignei cum annexis, vel viſcidi ſalino-aquei, vel terræ glutinoſæ & ſalinæ denſionis.

§. CLII.

Exceſſus defectusque motus lymphæ, ſeri, muci cum erroneo motu exceſſuque quantitatis eorundem rurſus triplici debetur cauſarum ordini materialium, nimirum vel viſcido craſſo, frigido, mucoſo, ſeroſo ſimpliciori, vel viſcido terreo-alcalino & glutinoſo, vel tenuiori ſæpenumero & acriori ab implicita magis & ſubinde ſe prodente terra arſenicali corroſiva.

§. CLIII.

Atque ita tandem manifeste satis tres summæ constituuntur morborum classes, secundum causas generales capitalissimas prædominantes: morbi a principio igneo & conspirantibus cum ipso maxime principiis, morbi a viscido frigido & humido admixtisque ipsi principiis harmonicis, morbi ab elemento terreo & cohærentibus ipsi gravius principiis.

§. CLIV.

Præcellente vero igneo cum adjunctis, deficit maxime viscidum frigido - humidum, ac terreum. Prædominante viscido isto deficit ordinarie igneum ac terreum. Hoc posteriori prægravante deficit plurimum mox igneum, mox viscidum humidum.

§. CLV.

Inde & a triplici primario defectu principii ignei, viscidi frigidi, terrei, triplex

mor-

morborum univerſorum claſſis. Unoquoque ex triade iſta privativa defectu potiori ſubſiſtente, redire nequit ſanitas, niſi reſtaurato principio præ aliis deficiente annexis debitis. Hoc per ſe eſt evidens.

§. CLVI.

Datur vero, ipſa teſte experientia, trium iſtorum defectuum principaliſſimorum, ignei, viſcidi, & terrei, naturaliter expletio principaliſſima triplex per mododictam reſtaurationem principiorum præcipue deficientium, ignei, viſcidi, & terrei, adjunctis unicuique amicis debitis, ut redintegratio inde ſequatur completa virium naturæ omnium.

§. CLVII.

Naturæ vires addere deficientes nihil aliud neque eſt neque dicitur quam confortare ipſam. Confortatio iſta non fit niſi deficientis alicujus principii reſtitutione in in-

integrum, quæ unoquoque requiritur in morbo interno. Quid eſt igitur omnis interna medendi methodus niſi methodus reſtaurandi, methodus naturæ confortativa, per addita principia deficientia? Et quo alio modo nimie prædominans aliquod principium ad temperaturam reduces juſtam quam additione vel excitatione alius principii temperantis, quod vel deficit vel involutum nimis ac ſuppreſſum eſt? Num aliter eſſe poteſt? Quid vero hoc aliud eſt quam confortatio fundamentalis? Ac ſi eliminari ex corpore vis nimia prædominantis alicujus principii debet, nonne id fieri per aliud additum vel excitatum neceſſe eſt? Iſtud ipſum ſi fit, ut certe debet, modo vires naturæ providiſſime ſervante, ac potius ad alacritatem erigente quam minuente, nonne rurſus eſt vera ac debita naturæ confortatio? Certiſſime.

§. CLVIII.

§. CLVIII.

Et cum adeo, vi priorum, principaliter interne venit reſtaurandum vel igneum, vel viſcidum frigidum, vel terreum demum principium, methodus manifeſte datur confortativa naturalis generaliſſima triplex, calida, frigida, & ſicca ſive ſolida.

§. CLIX.

Hoc ipſum pateſcere non minus poteſt ex conſideratione morborum interiorum omnium, inſignium in univerſum ab irritabilitate vel aucta vel minuta. Ubi quidem morbi a principio potiſſimum igneo ſunt morbi ad unum fere omnes irritabilitatis auctæ. Quæ in his ipſis malis cum a viſcidi, frigidi potiſſimum & humidi, penuria proveniat inſigni, patet illico iſthic methodi convenientia confortativæ frigidæ, vulgo temperantis, per viſcida minus ignea, ſalina & aquoſa frigidiora, terrea quoque

consimilia. Morbi a viscido frigido minus salino, magis aqueo, irritabilitatem præstant minutam, ab eodem vero viscido magis salino eandem auctam, quamvis duram seu pertinacem potius quam vividam. Prioribus jam convenire methodum confortationis calidioris stimulantis, per calida & salina congrua terreis juncta, posterioribus autem per calida viscidis lenientibus mixta, facile est videre. Morbi ab exstantiori terreo principio, complicante sese cum viscido frigido crassiori, minutam sistentes ac valde torpidam irritabilitatem, nonne poscent confortationem naturæ calidam æque ac cum ipsa harmonicam, salinam, saponaceam penetrantiorem? A terra vero cum viscido vel magis salino vel magis igneo vel utroque connexa morbi irritabilitatem auctam ac pertinaciorem eam sat vivide prodentes requirent sane mollientem valde, lenientem, temperantem virium naturæ confortationem per aquosa, oleosa mitia, sali-

na

na grate moderantia modo parumper calida, modo frigida.

§. CLX.

Uti quidem irritabilitatis animalis nobilissimam utilissimamque impertivit orbi cognitionem mens illustris magni inter omnes Halleri, sic irritantium ac sopientium perquisitio medica exactior intimiorque ad usum directa clinicum certe haud minorem lucem pareret ac utilitatem medicinæ universæ, unde præ cæteris commendanda enixe.

§. CLXI.

Non breve tentamen, sed amplum satis volumen esset conscribendum, si morborum classificationes ex ipsorum diffusa historia & multiplici origine naturaque explanata stabilire complete, quantum possibile, fuisset animus. Arctiori sufficit proposito indicatio

tio ſimplex, in nonnullis iisque præcipuis facilè, clare vel probabiliter ſatis conſtans, ulteriori vero & juſte ſagaciori relicta percontationi ad explicandum ubivis ampliori ſoliditate & utili per omnia luce exactius penetranti methodum medendi genuinam, univerſæ naturæ confortativam. Iis quidem, qui methodos curativas ſpeciales dexterrimorum inter omnes novere practicorum, minime obſcurum eſſe poteſt, ipſos potiſſimum ſecundum ſignificatam naturalem methodum confortativam actu procedere feliciſſime, defectus omnes ſupplendo exacte, ſolide, grate, ac cito, vel ſi minus cito, tanto durabilius; circumſpectiſſima vel ſubtili ſæpius ratione, pro ſagacitate eorum tam ampla, quam profunda, ingenio non minus quam judicio practico qualitates penitiores cauſarum morbificarum remediorumque intimius penetranti & ſic ſumme proficuo. Evolvantur, obſerventur, nil aliud reperietur perſpicienti-

bus

bus profunde naturam ſimpliciorem oculis. De alteratione clinica qualitatum fluidorum ac per eas motuum quoque & ſolidorum res per ſe ſatis patet. Ipſæ tandem adeo evacuationes neceſſariæ promotionesve excretionum debitarum quid aliud ſunt actu & dilucide perhibentur quam expletiones deficientis ſtimuli, roboris, facilitatis ad ſecretiones congruas perficiendas? Congruæ vero juſte ſunt quæ vires omnium minime auferunt impediuntve reliquas neceſſarias utilesque, ad malum morbi facilitate æquiſſima & alacritate potius increſcente debellandum.

§. CLXII.

Poſſibilitate jam & actualitate methodi medendi confortativæ univerſalis adſtructa ſufficienter, addere jam obſervationes de ipſa generales quaſdam, ad praxin felicem potiores, non incommodum erit.

§. CLXIII.

§. CLXIII.

Bonus animus cum constantis dimidium sit sanitatis, si ita loqui licet, ac saepius etiam mirifica in aegro alacritate dimidium absolvat curationis, non turbando nec impediendo usquam, sed promovendo potius ordinem naturae motorium ad restitutionem gratam plenariamque virium vitae & facilitatis ad functiones omnes expeditae, inde utique quantum valeat ac procuranda sit ubivis confortatio animi, alacritatis serenae & magnanimae blanda, & quantum unquam fieri potest, continua excitatio, promotio, confirmatio, clarius luce patet. Huc facit haud exiguo certe gradu regimen corporis justum, moderatum, sobrie cautum, nequaquam vero nimis scrupulosum, quod contra potius cane pejus & angue fugiendum, quoniam anxietatem turbasque causat animi frequentes nimis, quae si non irritam plane faciunt, certe molestant admodum protrahuntque curationem, minime

faci-

facilitant nec accelerant. Liberum potius modeſte regimen, nec meticuloſum adeo, nec indice prohibitorum copioſo ac ſæpiſſime parum gravi ſolidove onuſtum, plus facit ad firmandum corpus, vegetasque reddendas vires, quam inexperta credunt unquam audentque cuticulæ curandæ mancipia, ad lubitum proprium ſæpe ſæpius valetudinaria, naturam debilem in debilitate omnimoda per omnem languidam vitam curioſe conſervantia, quibus adeo medice vel ſecundum vulgaria præjudicia medica vivere, certe eſt peſſime vivere.

§. CLXIV.

Cum methodus confortativa univerſalis indicet protinus ad minimum conſervationem quam curatiſſimam virium corporis in ægro quocunque adhuc reliquarum, ac multo magis ſane promotionem earundem blandam omnimodam ad mala quævis facilius, ſolidius, celerius, felicius omnino ſu-

ſuperandum, maxima utique cautio & conſtantiſſima erit adhibenda in præſervandis perpetuo ab ulteriori quacunque debilitate vel deficientia viribus ægri reliquis. Quod ſane præ omnibus non niſi cautiſſima obtinebitur evacuationum adminiſtratione, quoniam evacuationibus potiſſimum, etiam exiguo ſæpe apparente gradu nimiis, infirmantur protinus vires inſigniter ac perduntur, curatio protrahitur, moleſtatur, confunditur, fit irrita, funeſta. At frequentiſſime omnium peccatur ac plane in contrarium itur adverſus hanc cautelam evidenter juſtiſſimam, fundamentalem, ac omnium facile principem. Nihil vulgatius, levius, facilius quam conſulere, præſcribere frivole, inconſiderate, indiſcriminatim haud minutas certe evacuationes varias in principio, medio, fine morbi, imo morbiculi cujusque. Hæc utique univerſalis ſtultorum medicina, frequenter morbo gravior; viribus afflictis magis magisque ple-

plerumque damnoſa. Nec ulla efficacior methodus ad gentes totas effeminatas reddendas, robore ſano & antiquo vigore futiliter ac infeſte exhauriendas. Quantus quisque enim eſt, qui ſanus ratione ſeſe ſubtrahat vero huic morbo epidemico? Cautiſſimorum contra ac integerrimorum experientia Medicorum actu ipſo monſtravit, neceſſitatem evacuationis artificialis eſſe plerumque imaginariam, inſulſam, perverſæ rationi debitam, & proxime obſervatam praxin communiter evacuatoriam tantum non ſemper ſeſe monſtrare manifeſte viribus noxiam, vel jam in præſenti vel magis magisque ingrate procedente temporis lapſu. Eadem perhibuit experientia, bonam alterationis moderationem plerumque magis in poteſtate eſſe boni Medici quam medicarum evacuationum quoad vires reſtituendas ac ſervandas accurationem exacte, ut fieri omnino deberet, juſtam ac felicem. Quanta igitur temeritas ac per-

versitas contrariæ agendi rationis? Quantum vi omni vulgus ruit in contrarium, rationi æque ac sanitati genuinæ bellum indicens! Relinquamus hanc fatuitatem Moliero alicui salse perstringendam.

§. CLXV.

Notemus potius cum iis, qui naturæ vim veram sanius intuentes, penetrantes, sequentes sapere ingenue volunt, audentque generose, secundum solidissimam immortalis Frid. Hoffmanni sententiam, celeberrimo olim Stahlio oppositam, quod, quanquam vacuationi sua virtus & laus in medendo constet, tamen *natura non tam a quantitate sed magis ab infensa qualitate & motu lædatur.* Huc ergo respiciendum utique primario. Huc ratio sanissima, huc experientia maxime sobria ac constantissime prospera deducit, ac plane figit veram medendi methodum, naturaliter conservativam ac restaurativam, minime destructivam, minime exhaurientem.

§. CLXVI.

§. CLXVI.

Univerfaliter enim graviffimeque eft obfervandum, quantitatem excedentem alicujus fluidi non lædere per fe, fed folummodo quando ipfi jungitur vel exceffus vel defectus in motu nimius; dantur enim plethorici fanguinei, biliofi, phlegmatici per longa tempora fani fatis multi. Exceffus autem ille vel ex adverfo defectus in motu non utique pendet a quantitate per fe, alias femper & ubique ftatim hæc læderet, fed a qualitate potius aliqua nimis vel aucta & excitata, vel diminuta nimis altera quadam ac oppreffionem paffa. Nonne hinc evidentiffimum eft, capitale ac primum omnium ftudium tuum haud fane debere ad quantitatem folum minuendam intendi, nifi præfentiffimum urgeat periculum a quantitate nimia infolenter prorfus ad rupturam fere ufque diftendente vel vires plane opprimente ac vafa nimis obftruente, fed, perraro ifto periculo excepto, ante omnia

tibi eſſe attendendum firmiter ad qualitatem prædominio excedente ſævientem moderandam, defectu peccantem ſupplendam ac erigendam ſufficienter? Tunc enim ſolummodo ſi hoc omnino curas fundamentale omnium ac præcipuum, fere ſemper certe nec ſine multa admiratione obſervabis, qualitate correcta, deficiente præprimis reſtaurata, quantitatem illam nimiam tuam vel evanuiſſe neſcio quo modo, vel ſponte ac ſenſibiliter ſeceſſiſſe, vel certe haud amplius nocere, & minimo negotio promoveri naturaliter, vegete, juſte, blandiſſime ad ſe & excretiones congruas, vere proficuas, ſponte ac optime moderatas a natura ipſa bene confortata, morbosque hoc modo plerumque multo ocyus, ſemperque longe ſolidius ſolito decedere, robuſtioresque ſponte redire ſtatim ac durare præſtantius vires.

§. CLXVII.

§. CLXVII.

Ut vero corporum ægrorum morbos non ſimpliciter ſolum pro neceſſitate abigas, mercenario ſic functus labore, ſed ceu verus ac generoſus ſanitatis amicus ſanitatem durabilem, adeoque robur firmum & quam fieri poteſt conſtantiſſimum corpori concilies univerſo, nonne tua tunc nobiliſſima cura eo intendi omnino debet, ut craſin ſanguinis præprimis reliquorumque exinde humorum non ſolum optima principiorum proportione blande temperatam, ſed & ſatis arctam, firmam, robuſtam, durabilem nobili ac dextra reddas ſolertia, unde tunc omnia ſolida debitum & conſtans omnino robur cum indole recte temperata acquirant ac conſervent facile? Nonne? maxime ſane! Sed hoc ipſum firmam ſanguinis, humorumque ceterorum craſin, ac inde dependens ſolidorum robur, num unquam ſtabilies ſine comparato chylo bene temperato, forti, denſo, robuſte concocto? Tu

vero hunc efficies forte diæta præscripta, tenella tua, molli scrupulosa, ab aura quaque pauxillum intempesta anxie prohibente, potu copioso tenero calido, molliter diluente vel potius omne robur eluente, fervido inprimis pulchre semper relaxante Theæ & Coffè, quo protinus orgasmos congestionesque non minus quam spissitudinem humorum strenue promoveas, ut & cibis illis tuis laudatissimis eupeptis, mollibus, levissimis, teneris, volucres aptius quam homines pascentibus, in universum philosophia quadam mollissima, sybaritica, *palliative medica*, *practice effeminante*, cum vulgari methodo virium solerter evacuatoria dexterrime juncta, ac dulcissime sic perenniterque morbifica? Magnum sane ac durabilissimum præstabit ista robur! Dii te Deæque donent digne omnino sepiaceo illo sceptro Archiatri Gubernatorum Baratariæ, Domini irrefragabilis Pedro Rezio de Aguero, immortalitatem consecuti celeberrimam

berrimam calamo illuſtri Michaelis de Cervantes Saavedra! Rigidiſſime conſervator blandæ mollitiei! Ah! quam tenere crudelem

- - - genuit te cautibus horrens
Caucaſus! inſanæque admorunt ubera tigres.

§. CLXVIII.

Miſſa hac quaſi medica ſpecie philoſophiæ vanæ effeminantis, maſculam vivendi rationem, ſed prudenter omnino ad robur gradatoriam, quantum natura permittit, ipſis tenerioribus mollibusque ſubjectis, ſi modo vel ipſa ſunt generoſi firmique animi, vel ad conſtantem ſatis magnanimitatem perduci ſe patiuntur, inſige ſolidis ac familiariter perſpicuis rationibus. Sic ſuavi rationis rectæ ac evidentis ſoliditate ſapienter amove ſenſim diætam in potu & victu, aëris uſu, motu & quiete

nimis mollem, levem, relaxantem, in imbecillitate fragili ſcrupuloſe conſervantem, & humores vel ſpiſſos lentosque vel nimis fluxiles & facile orgaſticos perpetuantem, methodosque præſervandi & familiariter medicandi evacuatorias debilitantes, improvide irritatorias, ac palliative ad tempuſculum ſopientes, morbificas potius quam ſolide & naturaliter ſanas. Motum corporis æquum, moderate conſtantem, plurimum varium ad agilitatem omnium fortem acquirendam ſervandamque, injunge præ omnibus cum aëris uſu liberiori, aſſuefactionem ſimul gradativam ad potum ſimplicem frigidum, ad minimum ſatis eximieque ſemper tepidum, parcum potius ordinarie quam copioſum, cibosque haud minus ſat tepidos ſumendos, minime calidiores vel æſtuantes, ac ſæpe potius frigidos, eosque ſenſim ſolidiores, denſiores, ſicciores tam ſolos quam cum aliis magis mixtos, ab ipſa methodo communi effeminante

nante frequentiſſime prohibitos, bene tamen modicos, nec nimis ſimul varios, ſed ſimplicius rationaliter congruentes, habita modeſta virium, idioſyncraſiæ, ætatis, tempeſtatis ratione, longe vero magis magisque exulante ſcrupuloſitate molli, tenella, nimia. Homines enim ſumus terreſtres, terreis, ſolidis optime confortamur, non, ut lunares forte creaturæ, humidis & laxis, vel ut ſolares, calidiſſimis, ſed temperatis ſufficienter frigidis, ſiccis, ſolidis. Nec timeas, adamatam forte teneritudinem diæta perdi ſolidiori, firmatur potius & fit durabilior. Cum teneritudine corporis, non autem cum laxa mollitie, poteſt utique conſiſtere robur, denſa ſoliditas. Mixtio exacta ſubtilior eſt eadem etiam intimior, firmior. Nonne hoc monſtrant mineralia & metalla plura, tenerrimas partes, ſubtiliſſimam mixtionem omnium prodentia? Mixtio craſſa & levis ſi eadem quoque firma eſſet, denſiſſimum ac ductiliſſimum au-

rum æque facile produceretur ac ferrum vel ſulphur, a quovis etiam chymico conflaretur. Experientia te medica, licet paradoxa, ſolida tamen, & conſtantius ſolito læta docebit, tenerrima adeo ſubjecta generoſa evehi vere confortativa hacce methodo, apte applicata, ad inſignem corporis ac ſanitatis firmitatem & alacritatem, ſola ſubinde optima omiſſione diætæ & methodi quaſi medicæ debilitantis, ſolidioresque adeo cibos & frigidiores optima eſſe ſtomachi & concoctionis confortativa, motum laboremque denique ſufficientem, aſſiduum, firmare etiam corpus molle & viſcera ipſius laxiora, humores porro magis ſemper tenues temperatosque intimius evadere, ſe & excretiones facilitari & in ordinem redigi juſtiorem conſtantioremque. Confortativam hanc genuine methodum diæteticam, ad quam propria maxime indole ac ratione naturali duce inclinavi, diſtinctius indicatam æterne grata debeo

mente

mente partim Illuſtri Tſchirnhuſio, partim Clariſſimo D. Carl, practico inter Stahlianos integerrimo & ſaniſſimo, præjudiciorum vulgarium medicorum numeroſorum inſectatori funditus perſpicaci pariter ac germane ingenuo, & firmatam demum illam nervoſiſſime, illuſtratamque medico celeberrimo Kæmpfio, Archiatro olim Moguntino & Haſſo-Homburgico mire feliciſſimo, cujus lucubrationes quasdam eminentiori methodo confortativæ ſimplicius innixas, manuſcriptas, ad commoda publica inſignia poſſem aliquando fortaſſe juris facere publici.

§. CLXIX.

In præventione tandem morborum dextra promtaque ſeu declinatione ſtatim ſolida initiorum moliminumve morbiferorum, ac in difficilioribus, complicatis, pertinacioribus morbis methodus ea ſimplex naturalisque diætetice ac medice confortativa præ-

præstantissimam se singulariter præbet, maxime imprimis ad digestionem & chylificationem respiciens efficacia blandissima ac velut insensibiliter subtili reddendam integram, qua sic restaurata reliqua sponte cuncta succedunt eximie, ac ista sola constanter satis observata cura restituuntur sæpius ægri chronici longe ultra spem medici ipsius providi. Sic balsamica, amaricantia, roborantia prævalentibus digestivis temperantibusque salibus sicco modo varie mixta innumeros suavissima conservante vel protinus erigente efficacia præverterunt constanter morbos morborumque minaces impetus incessusque majores, sine omni vulgariter insuete necessaria purgatione, sudatione, sanguinis missione, naturalissime solummodo ad ordinarias functiones gratas confortatis se- & excretoriis vasis. Effugitur etiam hic commodo restitutionis virium ac sanitatis maximo jejuna illa nimium communis ratio assumendi medica-

dicamenta, dum ex adverſo remediis confortativis præmittitur, interponitur, adjungitur ordinario nutrimentum ut plurimum ſufficiens & congruum, quæ copula jucunda chylum efficere valet protinus bene medicatum. Quod promtius adhuc, ubi convenit, procedere ſolet infuſis potiunculisque frigidis vel tepidis frequentiori parva doſi gratiori aſſumtis, mixturisve ſpirituoſis ſatis plerumque temperatis, victui bono combinatis more optimo, & ſine omni laxativo vel purgatorio aliove heroico debilitante paratis. Quo & collimant ſimiliter ſumtæ pilulæ amaræ mere confortativæ, per longum tempus commode continuatæ, durabiliſſimam, ubi fert temperamentum vel moderatio ejus accedit ſufficiens, confortationem viſcerum ſtabilientes firmantesque præ cæteris. Saponacea vero, ſed, quod præprimis, quæſo, notetur, perfecte ſaponacea, ſunt ſumma omnium & perfectiſſima medicamenta. De nobi-

nobilissima tamen chymia medica saponaria sive synthetica perfectiva, recentius exculta, utilia quædam elementa proferre alia forte occasione satagam.

§. CLXX.

Alii fortasse loco temporique relinquimus plura talia & specialiora attentione haud indigna. Quicunque vero bonus videre desiderat methodum confortativam universalem proxime & regulariter directam ad praxin vere salutarem, fundatam factis, ratione ubivis firmatam perspicue, penetrante omnia regularum & cautionum nobilissimarum luce distincta, naturæ genium modumque ingenue sistente, is quidem adeat Illustris Medici Angli, Theophili Lobbii, generalia medica principia & cautiones, partibus tribus. Etenim inter omnes, qui de praxi publice aliquid prodidere insignius, reperire mihi datum est hucusque nullum, qui strictius, perfectius, sim-

ſimplicius per omnia inſiſtat veræ naturali methodo confortativæ, eamque aptius dilucidet, confirmetque nervoſius ratione & experientia juſta, quam ipſe ille ſolidus, dexter, ingenuus practicorum inter modernos facile Coryphæus. Faxit Deus omnipotens, optimus, ſapientiſſimus, ut miſere afflictum genus humanum magis magisque condiſcat, mente ſana in corpore ſano potiri, frui, ac uti quam præſtantiſſime ad ſalutem communem omnigenam, qua indies promota reſplendeat ac magnificetur immenſa gloria bonitatis ſanctiſſimæ & conſtantiſſimæ in æternum!

